VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 III
23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-28. a. 24

28.5.24 28
C
25

25
C
16

Digitized by Google

PRO VOTO ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI CARDINALIS CÆSARIS BARONII

In Cauſa

SANCTÆ MATRIS

Eccleſiæ Catholicæ cum Republicæ Venetorum

SCRVTINIVM

F. FELICIS MILENSII

Doctoris Ord. Eremit.
S. Auguſtini,

CONTRA VOTVM

D. IOANNIS MARSILII refragantis.

Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda DEI.
1. Corinth. 2.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Moguntiæ, Ex officina Ioannis Albini,
Anno M.DC.VII.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

DE ratione & fine ſcribendi.cap.1.f.1.
Illuſtriſſimi Cadinalis Caſaris Baronij contra Sereniſſimam Rempublicam Venetam Votum.fol. 4.
De Baronio, & Bellarmino Cardinalibus. cap.2.f.7.
De conditione Scrutinii.cap.3.f.11.
De Baronii grauitate, æquitate, & modeſtia in Voto. cap.4.f.13.
De Voto Dauidis contra hoſtes.cap.5.f.19.
Deus, Angeli, Homines Eccleſiaſtici etiam occidunt.cap.6.f.24.
De intellectu verborum, Occide & manduca: & quomodo excommunicatio ſit occiſio, & viuificatio.cap. 7.f.29.
Occidere eſt miniſterium Paſtoris: ita vt nõ ſit Paſtor, qui non occidit, cum opus eſt. cap.8.f.38.
Applicatio Viſionis bona eſt: nec Eccleſia, nec Sanctis Patribus, nec Baronio contraria.cap.9.f.45.
Senſus viſionis nõ fuit cõtortus.c.10.f.52.
Nec verba Viſionis ſunt contorta; nec malè leonibus Veneti comparati.cap.11.f.56.

A 2 *Votum*

Votū Baronij totū eſt ſcripturale. cap. 12. f. 61.
Quid ſit in promptu habere. cap. 13. f. 65.
Declaratur Apoſtoli citata autoritas. cap. 14. f. 71.
Vindicatur Summus Pontifex à calumniis Marſilij in hunc locum. cap. 15 f. 74.
De capite tertio Seſſionis 25. Concilij Tridentini à Marſilio fruſtrìm citato, & maleuolè intellecto. cap. 16 f. 83.
De capite viceſimo Seſſionis eiuſdem, fruſtrìm quoque, & malè per Marſilium citato. cap. 17 f 87.
Luſus Marſilij ſuper Concilium: & de errore intolerabili, & feſtinatione prætenſis. cap. 18 f. 94.
Exempla duorum Summorum Pontificum à Cardinale congruentiſſimè propoſita. cap. 19. f. 99.
De iisdem Summis Pontificibus Gregorio, & Alexandro cap. 20. f. 109.
De Voto Marſilij contra Votum Cardinalis Baronij. cap. 21. f. 115.
De Clypeo Marſilij contra Paræneſin Baronij. cap. 22 f. 120.

SCRV-

SCRVTINII F. FELICIS MILENSII

Pro Voto
Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Cardinalis
CÆSARIS BARONII
In Cauſa
Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ cum Republica Venetorum.

CAPVT I.
De ratione & fine ſcribendi.

CVmprimùm multorum ſcriptis circũferretur auidè per omnium manus ingens cauſa Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ de ſacris iuribus ſuis inuiolandis cum Republica Venetorum, ter calamum pro Chriſtiana pietate & æquitate, ſyncero & ardenti animo ſtrinxi. Primùm quidem Euangelium S. Marci explanatione genuinâ, breuiquè complectens, vt eam abſque vllis claſſicis argumẽtis modeſtiſſimâ religione ob oculos Dominorum Venetorum, vtì quendam Marcouenetum, collocaré: cuius ſolius intuitu purè animaduerte-

rent, quid in illis, qui Marcum pro ſingulari patrono mirificè venerantur, hoc in negotio eſſet deſiderandum. Deinde Antipauliorum quorundam ſcorias hanc ob rem effuſas colligens, Propaulio demonſtrabam, quàm longè à Pauli Apoſtoli doctrina deficiebant, qui illis Paulum V. Pontificem Maximum dirè impetebant. Porrò contra cuiusdam Nicolai Vignerii Reſponſionem aduerſus Votum Card. Baronii, in qua integrum de excommunicatione Lutherum euomit, reclamare cœperam: exæſtuans, quòd & ipſi villoſi hæretici, ad rem ſuam Venetorum cauſam trahentes, non ſolùm molirentur, ſed & ſperarent, Venetos, alioqui Chriſtianiſſimos, & de Eccleſia Catholica ante hac optimè meritos, ad partes ſuas per capillos euoluere. At quoties inchoaui, toties à ſcribendo abſtinui. Tum quia omninò mihi perſuadebam fore, vt antequam ſcribere finirem, Veneti, auitę pietatis æmulatores, optatũ obedientiæ exhiberent exemplum. Tum quia verebar, ne ſcriptorũ aggeribus, etſi piiſſimorum, paracenteſi potiùs recrudeſceret vlcus, quàm vllo cataplaſmate mulceretur. Partim verò, quòd Theologi non deſunt inſignes, qui vberiore venâ hæc præſtare poſſunt, & nitidiore. Partim, quòd non

adeò

adeò obſtruſa hæc cauſa eſt, quin eam vel mediocriter eruditi, niſi faſcino cæcutiant, luce clariùs diſcernant: nec tam peregrina ſunt ſophiſmata ab aduerſantibus è ſcholarum cuniculis exhumata, quæ non in diſputationibus ad acuendum tyronum ingenium quotidie repetita puteant in ore ſcholaſticorum. Addo, me tantùm occupari Ordinis mei officio, vt vix mihi vacet cuipiam alieno operi vel digitum admouere. Vbi verò Rheni oras præteriens, homines vel infimæ ſortis ſenſi inter ipſa pocula ſacrum Votum Cardinalis Baronij olentiſſimo ſtomacho eructare; ac tertio quoq; verbo recidere in hunc ſermonem, à Baronio Papam contra Venetos armatum, adhortante eum, Macta, & manduca; macta & manduca; excandui zelo. Tunc magis, cum Spiram regreſſus relegi Marſilii Votum, ibi denuo impreſſum, cui titulus eſt. *Duo Vota, hoc eſt, ex animo voto prolatæ ſententiæ: vnum Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D. Cæſaris Baronii S.R.E. Cardinalis Bibliothecarii contra Sereniſſimam Rempubl. Venetam: alterum excellentiſſimi D. Ioannis Marſilii Neapolitani Theologi pro Sereniſſima Repub.* Ex quibus recuſionibus, aliiſq; compẽdiolis, farraginibus, & verſionibus à Latina in Germanicam linguam,

& ab Italica in Latinam eorum,quæ contra Matrem Eccleſiam à prodigis ſcripta ſunt,non difficilè apparet, quàm ſuauiter hęretici quiſquiliis huiuſcemodi,&agnatis ſiliquis veſcantur:quibus ſufficit, ſi q̃d contra Romanum Pontificem ſcribatur, qualecunq; à quocunq; ſcribatur. Quàm item ſcandaloſum & iniquum habeant Baronij Votũ: quàue occaſione ſibi magis fingant Pontificios, &Pontifices ipſos lupos eſſe,carnifices & tyrannos. At longè aliter (Paſtor æterne tu ſcis) longè aliter res ſe habet: qui eos operis tui Vicarios gregi tuo contuliſti præeſſe paſtores. Da tu,obſecro,tuo ſpiritu veritatis,vt valeam tanti Cardinalis ſcrutari Votum, & omnibus patefacere,illud fuiſſe Principe Eccleſiaſtico, & Theologo dignum: zelo feruentiſſimo & ordinatiſſimo efflatum: conſultum, æquum, neceſſarium: à ſtatu cauſæ nec tantillum abhorrens. De cauſæ verò Pontificiæ iuſtitia nihil diſſero, ſed eam humiliter præſuppono.Referam ipſum ad verbum,vt à Marſilio recitatur.

Illuſtriſſ. Cardinalis Cæſaris Baronij contra Sereniſſ.Rempub.Venetam Votum.

*DVplex eſt, Beatiſſime Pater,miniſterium Petri; paſcere, & occidere. Dixit enim: * Paſce oues meas: audiuitq́; Petrus*

** ad eum Dominus:*

trus è cœlo vocem Occide, & manduca. Paſce oues meas, eſt curam gerere obſequentium fidelium Chriſtianorum, manſuetudine, humilitate, ac puritate oues, & agnos præ ſe ferentes. Cùm verò non cum ouibus & agnis negotiũ ſit; ſed cum leonibus, & aliis feris animalibus refractariis, & aduerſantibus agendum ſit, Petrus iubetur eas occidere; obſiſtere ſcilicet, pugnare & expugnare, ne tales ſint penitus. Sed quòd huiuſmodi occiſio non eſſe debeat, niſi ex ſumma charitate, quod occiditur præcipitur manducare; nempe per Chriſtianam charitatem intra ſua viſcera recondere, in ſeipſum counire, vt ſint ſimul vnum & idem in Chriſto, quod dicebat Apoſtolus: Cupio vos in viſceribus Ieſu Chriſti. Sic igitur non eſt occiſio iſta crudelitas, ſed pietas, atq; ſyncera charitas; cùm ſic occidendo ſaluet, quod eo modo viuere ſinẽdo perierat. Eſt excommunicatio, vt Nicolaus Papa docet, non ad occidendum, venenum; ſed ad ſanandum, aptiſſimum medicamentum. Sicut videmus patrem amare vincula, quibus ligatur à Medico filius phreneſi laborans, ſperantem iisdem poſſe curari. Perge igitur, Sanctiſſime Pater, quod cœpiſti, in quo non eſt, qui te redarguere poſſit nimiæ feſtinationis, cùm dicat Paulus Apoſtolus, ad Corinthiorum ſcribens Eccleſiam: In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, in promptu hoc illi faci-

endum præcipit. Tua verò Sanctitas his diutius eſt immorata; ſcribens ſæpius; dilationes iterans in hanc vſque diem. At verò, vt verũ fatear, exſulto ſpiritu, dicam cum Apoſtolo, ſuperabundo gaudio, videns in hac mea ſenectute in Sede Petri ſedere alterũ Gregorium VII. ſiue Alexandrum III. hos ſcilicet præcipuos vindices collapſæ penitus Eccleſiaſticæ libertatis: ambos ex Senenſi Metropoli, vnde Sanctitas Veſtra originem ducit, vocatos ad Cathedram Petri: quorum alter expugnauit Henricum Imperatorem peruerſiſſimum; alter mirâ conſtantiâ reſiſtens, Fridericum Imperat. etiam penitus ſuperauit. Idem tibi certamen ineundum eſt. Trutina hæc in manu tua. Dicam cum Iſaia: Erige collapſam, protritam, ſepultamq́; Eccleſiaſticam libertatem: certa paratur tibi victoria: etenim nobiſcum Deus: nam verbum Chriſti eſt; Et portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam. Potiùs, vt es in Eccleſia ſucceſſor Petri, & in te promiſſiones ipſæ facta perueniant, & firmetur. De te puta dictum illud Ezechielis: Dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorũ ecce dedi. Poſui te in columnam ferream, & murum æneum. Sicq; memor eſto, te in Eccleſia poſitum eſſe petram, in quam omnes, qui te offendent, confringentur: Tu verò ſemper permanebis illæſus, coniunctus Chriſto, qui pro te pugnabit, & vincet.*

* ipſi

CAP.

CAPVT II.

De Baronio, & Bellarmino Cardinalibus.

AN verò hoc Votum omninò Baronii ſit, an non; an bonâ fide relatũ, & impreſſum; an ibi additum, aut inde ablatũ quippiã, ſiue infra corruptũ, diſceptationẽ iurgioſam non inſtituo. Vnum ſcio: nuſquã magis iudaizare hæreticos, quam in ſcripturis, quas ꝑ libidine circũcidunt. Scio & alterũ, Parenefin in hac Veneta eluctatione ſcripſiſſe Baronium, non indignã Baronio: ſcripturalem, grauẽ, feruẽtẽ. Illud autẽ, vt ꝓpoſui, ſic inueni in Voto Marſilii, & Reſponſione Vignerii præliãtiũ. Cui voto poſtquã plusquam liberaliter Marſilius maledixit, his finem facit. *Hæc habui, quæ de hoc Voto in promptu dicerem: quod eſſe ipſius Domini Cardinalis nemo eſt, qui dubitet: tum ipſius confeſſione, cum aliis firmiſſimis argumentis. Cui non diſſimilis eſt nunc primùm typis mandata Parænefis ad Rempub. Venetam.* Dixiſti quidem in promptu: nam pluuio tempore cicadæ & ranæ emergunt ex humo, ſuoq; modo cãtillant. Quid non in malum interpretantur, qui interdũ nec Chriſti verba maniſeſtiſſima ſecundum innatam verborũ ſignificationem interpretari volunt? qui ſibi ipſis non ſatisfaciunt, & ſæpenumero con-

contradicũt? ſi hoc non fieret, vnde proflueret tanta hæreticorum colluuies? vnde tot diſſidia in negotio fidei? vnde verborum & ſententiarum pugnantium confuſiones? Hoc illud fuit Ba & Bel, ex quo conflata eſt quondam turris Babel. At, Dei iudicio, ex Ba & Bel eluxit modò euerſio Babelis: ex duobus ſcilicet præſtantiſſimis EccleſiæSanctæ Cardinalibus Baronio,&Bellarmino.Balbutiebant hęretici,diſſectiq; in Sectas,quas non Babelicas linguas triſulcabant? Enatauit aliquando(vt hos memorem)èCocito VVicleffus,& balbutire exorſus,multa Eccleſiæ elementa conatus peruertere, in ſua balbutie anathematizatus inter effoſſos cineres ſiluit.Prodiit hincHuſſus,& anſeriſtrans ac boans, non cultiorem impietatis barbariem,ſuam Boëmiã docuit.Exort9 eſt inde centilinguis ille Lutherus,& tot Babeles inſtituit,quot verba ꝓtulit: imò nulla eſt inLuthero ſyllaba,q̃ non babeliſſet.Numerẽt eius confuſiones(ſi velint) tot ab eo emanatæ Sectæ, Lutheranorum, Semilutheranorũ, Antilutheranorum. Vellem ego ſanè feliciori memoriâ recitare Scythiæ Arimaſpos,quàm Lutheri Babelios. Non Germaniam inuoco, ſed ferè quamlibet Germaniæ domum, vbi vix inuenies in dogmatibus fi-

dei maritum vxori hærentem: ipſa atteſtor Lutheri Opera, in quibus vix lineam leges, in qua Babelis furor non ſæuiat, vel non oblatret contradictio. Hanc arrogã-tes filij ſuperbiæ turbinabant in cœlum, quæ paulatim ipsâ linguarum confuſione delabitur. Noſtraq; ætate ceu alterum Enochum, & Eliam in poſtremis ſummæ calamitatis futuræ temporibus, protulit nobis Deus miſericors, tanquam ex Paradiſo terreſtri, Baronium & Bellarminum: Cardinales ambos: peritiſſimos ambos: ambos vitæ integritate conſpicuos: qui balbutientes erudirent, & à Bebelis Chao, diſtinctis articulis, euocarent. Hoc fuit oportunum noſtræ tempeſtatis Abecedarium, hoc Syllabarium Scripturarum caſtigatiſſimum: quo ſanctis Patribus in ſeriem reuocatis, quaſi per Ba & Be eos relegere diſcerent & ipſi hoſtes, & ad Catholicum primum Alpha redirent. Hi verò, vt plerunque obdurato ſunt corde, tanto in illos odio exarſerunt, vt nullum in ſuis tricliniis decantent temulentiùs, quàm Baronium & Bellarminum: nihilque à Catholicis Scriptoribus dictum cenſeant, niſi Baronio tribuant, aut Bellarmino. Quòd Veneti iura quædã Eccleſiæ in controuerſiã vocare cœperint, Cõgregationẽ cauſantur Baronij, & So-

Societatem Bellarmini: quaſi Veneti propriâ voluntate careant, qua ſtent, aut cadant; velint, aut nolint. Quòd Sanctiſſimus Pontifex Paulus V. eos obedire procraſtinantes iuſto anathemate appetierit, Baronium, inquiunt, & Bellarminum fuiſſe huiuſmodi tragœdiæ autores, & perſonatores: quaſi ſibi ipſi hac in re non ſufficiat Summus Pontifex: vel quaſi Spiritus ſanctus, derelictâ Eccleſiâ ſuâ, inter Saxoniæ foueas deliteſcat, Lutherum energumenũ exorgizans. Siue prorſus exoleti iam ſint Gregorii, Auguſtini, Baſilii, cæterique Græci, Latiniq; Doctores ſanctiſſimi, à quorum profluis limpidiſſimæ doctrinæ laticibus quotquot ſucceſſère Theologi, vbertatem omnem ſaluberrimæ ſcientiæ in nos deriuant. Vel adeò noſtrâ ætate exhauſti ſint fontes Theologiæ, vt alterutro decum bente, Theologum in orbe amplius non inuenias. Sed ſunt, qui vt gloriolam ſibi, alterius odore, ſuffiant, anteſignanos portentosè adoriantur, innominati nominatiſſimos: & ferè ſingulis verbis centum Baronios, mille Bellarminos ebuccinent. Scripſit vterque in hac Venetorum cauſa clarè, doctè, catholicè: neque eſt, vnde eos accuſes, ſi acido palato non ſapit vinum, Eſto autem, Votum, de quo agimus,

mus, Baronii non ſit; eſto, ſit cuiuſcunq; Theologi, planè non video, vnde Ioannes Marſilius, Mars Ilii bellicoſiſſimus, & Nicolaus Vignerius, Luciani Momus, tantopere illud exhorreant, & cauillentur. Ego verò cùm Angelo Epheſino odi facta Nicolaitarũ, quos non pudet ipſam Christi ſponſam intemeratam ad ſua lupanaria inuitare. Odi, inquam, vineas eorum, quarum vna fellis, & botrus amariſſimus. *Apoc. 2.* *Deut. 32.*

CAPVT III.

De conditione Scrutinij.

SCrutemur Votum, detegamus veritatem, cum ſpiritu per Chriſtum, qui eſt ipſa veritas. Libet .n. reuerenter ſcrutari ſcripta Eccleſiæ, dicente Domino; *Scrutamini Scripturas.* Sed vt ibi inueniam⁹ Chriſtum, & perueniamus ad Chriſtum. *Quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Libet quidem ſcrutari: at ſpiritu Dei, ait Apoſtolus: *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei: quis enim ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei.* Marſilius autem & Vignerius tam piè Eccleſiaſticũ Baronii Votum ſcrutati ſunt, vt ibi quicquid aliud, quàm Chriſtum inquirerẽt: nã *Ioan. 5.* *1. Cor. 2.*

Chri-

Chriſti Vicarium ſpiritualibus armis nudare, Spiritusſanĉti aſſeſſione priuare, eumque vel in angulum cogere, quantũ in eis eſt, non verentur. Non enim habent ſpiritum, vel non habent ſpiritum
Ibid. Dei. *Animalis autem homo*, ſubiũgit Apoſtolus, *non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia eſt enim illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.* Propterea illi in ſuo ſcrutinio deficientes, vbi multa arbitrantur inuenire ſuffragia, inueniunt pauca; nullum pro paucis; affirmatiua pro negatiuis, & è cõtrario: ſuis etiam Votis in infinitum diſcrepantes. Quos ad lineã deſcribens Da-
Pſal. 63. uid, Deum laudando inuocat; *Exaudi Deus orationem meam, cùm deprecor; à timore inimici eripe animam meam.* Cuius inimici? *Protexiſti me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem.* Quam iniquitatem? *Exacuerunt, vt gladium linguas ſuas; intenderunt arcum rem amarã.* Quorſum? *Vt ſagittent in occultis immaculatũ.* Quomodo? *Subitò ſagittabunt eum, & non timebunt.* Sine conſilio? *Firmauerunt ſibi ſermonem nequam.* Quemnam? *Narrauerunt, vt abſconderent laqueos.* Num cęcis? *Dixerunt, quis videbit eos?* Fuitné ita? *Scrutati ſunt iniquitates;*

defe-

defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Quo pacto? *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Pulchrè quidem. Sed tandem? *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorũ: & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.* Inter hos egregios ſagittarios, prope hos ſcrutatores ſubtiles te ipſum intuere, & Vignerium tuum Marſili. Nos autem nõ ſic: *Qui non ſpiritum huius Mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo data ſunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.* *1. Cor. 2.*

CAPVT IV.

De Baronii grauitate, æquitate, & modeſtia in Voto.

EST autem ſtyli grauitas perpetua in Baronio: tum naturali dono indita: tum accedente, ex varia notitia linguarũ, & profundâ ſcientiâ rerum. Partim autem ſic exigente perenni arcanorum materiâ, de quibus agit, prorſus Eccleſiaſticâ: & partim pro Scriptoris dignitate, quâ eminet, & maieſtate. Talis denique eſt Spiritusſancti gratia ſpecialis illi affluẽter collata, dantis alii genera linguarum, alii interpretationẽ ſermonum: alii hoc, alii illud, ſecundum eundem Spiritum, diuidentem ſingulis, prout vult. Fuit au- *1. Cor. 12.*

tem tantùm inter politiſſimos eius hiſtoriarum lapides lactis eloquentiæ, tantus in frequentiſſima turba rerum concẽtus tinnit, vt totum demulcens hominẽ, delectet ſemper, doceat ſemp, fatiget nũquam. At laudent eum in portis opera eius; laudẽt anni æternitatis Annales eius. Sunt tamen quidam delicatuli, qui eum nimis rigidum ſcriptorem habeant: qui planè in tuẽdis Eccleſiæ iuribus, dogmatibus, ritibus; in confutandis aliorum malè dictis, aut factis, non iniquo rigore perſæpè vſus, acerrimè quidem, ſed non abſque zelo, & doctrina, pro rerum, locorum, & temporũ occaſione inuexit. Diſſimilis namque tractatio diſſimilem etiam poſtulat ſtylum. Quod venuſtat eleganti comparatione Baſilius. *Quemadmodum enim*, ait, *non eadem inſtrumenta in manus ſumat & qui prælium eſt initurus, & qui colere agrum velit: alia ſiquidem ſuppellex inſtrumentorum iis congruit, qui in pacis quiete res ſibi ad victum neceſſarias parant: alii armorum apparatus iis, qui in bello ſe aduerſum hoſtiles copias inſtruunt. Similiter quoque nequaquam eodem dicendi genere vtatur & qui in ſanâ doctrinâ cohortetur, & qui in diſceptatione ſibi repugnantes redarguat. Siquidem aliud eſt genus dicendi, quo vtimur in refellen-*

Prou. 31.

Baſilius Mag. in proœm. de vera fide.

fallendo; aliud, quo in cohortando. Ea eſt Parænesis vehementia, qua ad excutiendos, perurgendosque ad ſummi Sacerdotis obedientiam Venetos, prudens & prudenter, piam Christiani Præſulis ſententiam Christiano Principi inſinuauit: quam aculeatam, & ſtimulis obarmatam Martiali fremitu ſuo nimiùm durè Marſilius vocitat. Vt etiam hoc eius Votum re & verbis ſeueritatem quandam præ ſe fert; adeò vt eum nonnulli diſcoli, etiam ferocem auſint appellare. Quippe cùm ad Paſtorem ſupremum Viſione de quadrupedibus, volatilibus, & reptilibus inductâ, verba illa reflectit, ſono crudelia, *Occide, & manduca.* Et cùm ad partem aduerſam animum tendens, comparat eã leonibus, & aliis feris refractariis. Itemque cùm Pontificem Maximum animat, vt in promptu vlciſcatur omnem inobedientiam. Sed, vt & hoc præludio incipias æquè ferre, annon & Dominus noſter, cum opus fuit, grauioribus Phariſæos inuectiuis preſſit? annon in eos, titulos contorſit horrendos? Nunc cæcos eos dixit, & duces cæcorum: nunc fatuos, & genimina viperarum: nunc fures, adulteros, hypocritas, lupos: ecquid non? vſque adeò & Diaboli filios. Vtinam tales nunquã fuiſſent: Imò verò & ſuos Diſcipulos
 inter-

interdum tardos corde nominauit,& ſtultos; interdum modicæ fidei: & Petrum, Apoſtolorum verticem, ſemel expulit vt Satanam. Diuinus eſt hic feruor: vnde Chriſtiana licentia, & Apoſtolica audacia, quâ Paulus Romanis ait, *Audacius ſcripſi vobis fratres ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo.* Quâ Cretenſes, iuxta Epimenidis ſententiam ſemper mēdaces affirmat eſſe, malas beſtias, ventres pigros. Quâ alibi Galatas inſenſatos appellat, & faſcinatos, eo quòd non obedirent veritati. Quâ etiam virgas, ceu pueris, minatur Corinthiis: iiſdemq; vitia exprobrans, *Omninò*, ait, *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat.* Non impari in vitiis confutandis ſtylo omnes (vt de Prophetis ſileam, qui hoc in genere ſunt vehementiſſimi) refertæ ſunt Paulinę Epiſtolæ, ita vt is Timotheo ſcribat, *Peccantem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Rogatque alibi Romanos, vt obſeruent, & declinent eos, qui non Domino, ſed ventri ſuò ſeruientes, per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda hominum. Etenim, *Melior eſt manifeſta correctio, quàm amor abſconditus: meliora*

Rom. 15.
Tit. 1.
Gal. 3.
1. Cor. 5.
1. Tim. 5.
Rom. 16.
Prou. 27.

liora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula blandientis. At quid eſt vel in apice quidem reprehenſibile, quid non laudabile in hoc Voto? Scrutemur partes. Quis Votum fert? Senator Sacer, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Cui? Papæ; Chriſti Vicario; rerum Eccleſiæ ſupremo Arbitro, Adminiſtratori, & Iudici. Quid continet Votum? Vt apponantur manus excommunicationi: Extremis enim morbis extrema remedia ſunt adhibẽda. Quibus præuiis? monitionibus, exhortationibus, præceptis. Cõtra quos? Obedire tergiuerſantes. In quâ materiâ? Poteſtatis, immunitatis, & (vt libertatis nomen reticeam) hæreditatis Eccleſiaſticæ. Quando? In promptu: priuſquã, inualeſcẽte morbo, vires in infirmo omnino depereant. Quorſum? Ad reſtituendã aliis ſanitatem; ſibi autoritatem. Quo affectu? Synceriſſimæ, & ardentiſſimæ charitatis. Sunt hæc in Voto? Ea prorſus. *Superabundo gaudio, videns in hac meâ ſenectute.* Ecce Cardinalem, autorem Voti. *Duplex eſt, Beatiſſime Pater:* Ecce cui datur Votum. *Eſt excommunicatio non ad occidendum, venenum:* Ecce quid intendat Votum. *Tua verò Sanctitas his diutius eſt immorata, ſcribens ſæpius, dilationes iterans:* Ecce officia præcedentia.

Cum verò cum leonibus, & aliis feris refractariis, & aduerſantibus, agendũ ſit: Ecce cõtra quos. *In promptu habẽtes vlciſci:* Ecce quando. *Eſt excommunicatio ad ſanandum, aptiſſimum medicamentum.* Ecce finem. *Sed quòd huiuſmodi occiſio non eſſe debeat, niſi ex ſumma charitate.* Ecce charitatem, & ſummam: quam confirmat exemplo patris, amantis vincula phrenetici filii, vt ſanetur. Hoc eſt illud Votum, in quod votifragi quidam immodicè debacchantur. In quo tantâ modeſtiâ Baronius vſus eſt, tantâ erga Venetos, auſim dicere, reuerentiâ; vt quamuis de re maximi momenti ageret; quamuis in genere conſultiuo; quamuis cum ſupremo noſtro Hierarcha; eos tamen nec expreſsè, nec per deſcriptionem nominauit; ſed aſſumptâ Viſionis metaphorâ ſubintellexit. Ita vt niſi hæc controuerſia omnibus nota eſſet, diuinari in Voto non poſſet, quænam eſſet altera pars, cum quâ expoſtulatur. Indeéque facilè iudicare vnuſquiſque poteſt, eum non hoſtili animo in illos Votum huiuſmodi tuliſſe; quod quidem generatim contra quoſuis eiuſdem, vel alterius claſſis perduelles Eccleſiæ in ſimili caſu poteſt intelligi.

CAP.

CAP. V.

De Voto Dauidis contra hoſtes.

DVrus eſt hic ſermo, inquies, *Occide, & manduca.* Si durus, intinge illum in aceto, & fiet mollis. Non hominis ſermo eſt, ſed ſermo Dei, non ab inferis, ſed à Cœlo; nõ per Baronium, ſed per Angelum; non Paulo V. ſed ipſi Petro factus. Haud durus viſus eſt à mille quingentis annis & vltra, ſed ſuauis & vtilis, quo Gẽtes, deteſtatis idolis, in cœtum fideliũ cooptatæ ſunt. Materialiter ſumis *Occide?* Materialiter intelligis *Manduca?* Longè erras. Sed age. Nonnè & Sancti à Deo ipſo pœnas, Dei hoſtibus atrociſſimas imprecati ſunt? Vnus Dauid tribus tantum in locis ſufficiat. Is ſemel poſtquam dixit fremuiſſe Gentes, & populos meditatos eſſe inania: vnâ cum eis aſtitiſſe Reges terræ, & Principes conueniſſe in vnũ: non contra alios terrenos Reges, ſed aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius: & quippe ſub prætextu poteſtatis, iuriſdictionis, & libertatis dicentes, *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum*; vaticinatur primũ ſic; *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Deinde dominium Chriſti deſcribit, & principatũ. *Poſtula à*

Ioan. 6.
Ruth. 2.
Pſal. 2.

me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Tertium, Votum ſuum in hoſtes, & rebelles ſubſcribit, dicens; *Reges eos in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes eos.* Pòſt, monitorium Principibus euulgat, vt diſcant, timeant, corrigantur, humilientur: *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Et concludit. *Cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo.* O regiū verè & Eccleſiaſticū Votū. *Reges eos*, inquit, *in virgâ ferreâ.* Virgâ reguntur oues; ferro hoſtes: virgâ filii; ferro rebelles: qui, ſi reſtiterint duriores, tâquam vas figuli, confringendi. Quid ſibi vult, *Tanquam vas figuli?* Cur non dixit, fictile? Vas ſi frangatur in manu alterius, quàm figuli, quandoque reparatur, vel fruſta alicui vſui applicantur: ſed ſi frangatur in officina figuli, non adeò curat figulus, fruſta proiicit, fragmenta eiicit. Sunt hæc mitia? Virga ferrea? Vas figuli? Confringes? Nihilominus erat & ipſe Rex, qui conſulebat, & de Principibus loquebatur, & Regibus.

Alibi dicit Deo, quòd non habeat Deus ſibi ſimilem, & ex hoc nec tacere, nec compeſci debeat: *Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput.* Ecquid fecerunt? *Super populum tuum malignauerunt conſilium; cogitauerunt aduerſus Sanctos tuos.* Quid decreuerunt? *Dixerunt; Venite, diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael vltra.* Vah, tantum mali! Quid, ſi ſupereſſet ſolummodo nomen? Fuerunt omnes? Nullus fuit alterius humoris? *Cogitauerunt vnanimiter; ſimul aduerſum te diſpoſuerūt.* Interfuerunt Principes? *Omnes Principes eorum.* Miror: quam ob cauſam? quid adferebant in medium? *Dixerunt; hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei.* Hoc eſt nimium. Habetis profana, vultis etiam ſacra: non ſufficiunt laica, vultis etiam Eccleſiaſtica: temporalia ſimul & ſpiritualia. Quid faciendum eſt his Dauid? Da Votum tuum. *Fac illos, ſicut Madian, & Siſara; ſicut Iabin in torrente Ciſon.* Heu, heu. *Diſperierunt in Endor, facti ſunt, vt ſtercus terræ.* Deplora eos. *Pone Principes eorum, ſicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana.* Itàne cum Principibus? *Deus meus pone illos, vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Satis, ſatis. *Sicut ignis, qui comburit ſyluam: & ſicut flamma com-* *Pſal. 82.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

burens montes. Tam terribiliter, Dauid, tam terribiliter? *Ita perſequeris illos in tempeſtate tuâ, & in irâ tuâ turbabis eos.* Væ Cardinali Baronio, ſi tale eius fuiſſet Votum: dixiſſet Marſilius, *Blaſphemauit, reus eſt mortis.* Sed quis eſt finis tantæ imprecationis? Salus eorum, conuerſio, emendatio. *Imple*, inquit, *facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* Et ſi non quærent? *Erubeſcant, & conturbentur, & confundantur, & pereant.* Quid inde tibi? *Cognoſcant, quia nomen tibi*, DOMINVS: TV SOLVS ALTISSIMVS IN OMNI TERRA.

Matt. 26.

Tertio loco, aliàs contra inſectatores, & obtrectatores ſuos orat: *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.* Quid tam immane dixerunt? *Locuti ſunt aduerſum me linguâ doloſâ, & ſermonibus odii circumdederunt me.* Nil quæras: Sermones odii ſunt. Quid non mouet lingua in ore, vbi odium feruet in corde? Præbuiſti cauſam? *Expugnauerunt me gratis.* Quomodo? *Poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione meâ.* Quid tu interim? *Ego autem orabam.* Sanctiſſimè. Sed audi orationem. Extemplò imprecari incipit contra perſonam. *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & Diabolus ſtet à dex-*

Pſal. 108.

tris

tris eius. Gliſcit animus, recolens. Contra vitam. *Fiant dies eius pauci.* Contra dignitatem: *Epiſcopatum eius accipiat alter.* Cõtra familiam: *Fiant filius eius orphani, & vxor eius vidua: nutantes transferantur filii eius, & mendicent, & eiiciantur de habitationibus ſuis.* Contra bona: *Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius, & diripiant alieni labores eius.* Contra totam progeniem: *Fiant nati eius in interitum: in generatione vnâ deleatur nomen eius.* Et quaſi ad hæc non ſufficerent demerita nationis illius perſonalia, vult, vt & in eâ recudantur peccata parentum. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius, & peccatum matris eius non deleatur.* Tandem petit, vt omnes vel habeantur perpetui hoſtes Domini, vel ipſi cum ſuâ memoriâ omninò pereant. *Fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terrâ memoria eorum.* Horribilia ſunt hæc; & niſi legerentur in Pſalmis, quis putaret, hoc potuiſſe precari Prophetam Sanctum? Dices hîc Dauidem vel vaticinatum eſſe de futuro: vel enunciaſſe, vt Votum; ſcilicet, huiuſmodi eos promeritos ex rigore iuſtitiæ, niſi ſecus ſentiret miſericordia exactoris. Vel ex nimio zelo eum ad hæc prorupiſſe. Potes etiam dicere, ex debito iuſtitiæ, ex magna charitate,

ex zelo honoris Dei, & ſalutis proximi dictum eſſe, *Occide,& manduca.* Quæ tamen verba non ſic, vt ſonant, accipienda ſunt. Mihi autē ſufficit propter nauſeatos acriora verba propoſuiſſe ſanctiſſimi Regis in hoſtes Dei: ſiue vt Propheta, ſiue vt Doctor, ſiue vt Sanctus locutus ſit; ſiue etiam, vt Dux belli: Dominus in eo locutus

Actor. 4. eſt. Hoc tamen adiicio, Pſalmum, *Quare fremuerunt Gentes*, explicari in Actis in perſonâ Chriſti: cum Herodes & Pilatus, cum Gentibus, & populis Iſrael conuenerunt aduerſus Ieſum. Et Pſalmus, *Deus laudem meam ne tacueris*, ad eandem Domini noſtri paſſionem referri in iiſdem Actis; & in Iuda verificatum, quod ſcri-

Cap. 1. ptum eſt, *Et Epiſcopatum eius accipiat alter.* Quocirca eædem Diuinæ vltiones metuendæ ſunt aliis, quicunque contra myſticum Chriſti corpus armantur.

CAPVT VI.

Deus, Angeli, Homines Eccleſiaſtici etiam occidunt.

PErge tu, vrge, ſume occiſionem ad literā. Nunquid ſemel de ipſo Domino dictū eſt, quòd interficiat, necet, occidat? Nunquid non multæ ſcripturæ perſonāt, Angelos ipſos, nedum homines, non occidiſſe tantùm, iubente Domino; ſed & ſtragem

ſtragem hominum feciſſe ingentem? Nunquid fruſtra dictus eſt Deus, fortis, terribilis, vltionum, exercituum? Vix hominem complet, & geminam ei minatur mortem. Tranſgreditur homo, & cum eo tota poſteritas, mortis maledictum incurrit. Peccat vniuerſa terra, & vix octo exceptis, vniuerſum genus humanum obruit aquis. Peccat Regio, & omnes ferro, fame mortificat, & ſerpentibus. Imò, *Cum occideret eos, quærebant eum, & diluculo reuertebantur, & veniebant ad eum.* *Pſal. 77.* Peccat Dauid, tantùm numerando populum, & trium lethalium optionem accipit, aut famis, aut belli, aut peſtis. *Immiſitque Dominus peſtilētiam in Iſrael; & mortui ſunt ex populo ex Dan vſq; Berſabee ſeptuaginta millia virorum.* *2. Reg. vlt* Peccat Angelus eumque damnat perpetuis ignibus. Peccat homo, eumque damnatorum Angelorum facit eſſe conſortem. Nos homunculi indignamur, ſi dicatur Pontifici, vt occidat? Dathan, & Abiron reſiſtentes Moyſi, fuerunt puniti pœnâ ſpirituali, cùm dictũ eſt, *Recedite à tabernaculis impiorum, ne inuoluamini in peccatis eorum:* *Num. 16.* Et pœnâ corporali, cùm, *Aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan, operuit ſuper congregationem Abiron.* *Leuit. 10.* Nadab, & Ebiu, filii Aaron, alienum ignem imponentes in thuri-

thuribulis ſuis, cœleſti igne protinus abſumpti ſunt: & nihilominus ſummi Sacerdotis filii erant, & ipſum ignē coram Domino offerebāt. Tantùm ligna collegerat quidam Sabbato, dixitq; Dominus
Num. 15. Moyſi, *Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra:* &
3. Reg. 18. ſic factum eſt. Elias, Propheta Dei Sanctiſſimus, quadringentos quinquaginta Prophetas Baal interfecit ad torrentem Ci-
4. Reg. 1. ſon. Ignemque aliàs de cœlo impetrauit, qui duos Principes cum ſuis quinquagenariis deuorauit. Phinees, nepos Aaron, pugione occidit fornicantem Zambri, Ducem de Tribu Simeonis, & Cozbi, filiam Sur, Principis Madianitarum: dixit-
Num. 25. que Dominus ad Moyſen: *Phinees filius Eleazari filii Aaron ſacerdotis, auertit iram meam à filiis Iſrael, quia Zelo meo commotus eſt contra eos, vt non ipſe delerem filios Iſrael in Zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quàm ſemini eius pactum ſacerdotii ſempiternum: quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſrael.* Quo laudato facinore occiſi ſunt vno die viginti quatuor millia hominum, quorum viginti trium millium meminit Apoſto-
1. Cor. 10. lus, fornicationem Corinthiis exagge-
Exod. 32. rans. Mandato Moyſi, vt qui eſſent Domini,

mini, ei iungerentur, congregati omnes filii Leui, ceciderunt paucis horis diei vnius quaſi tria millia hominum, nec fratri parcentes, nec amico, nec proximo: quibus dixit Moyſes, *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio & fratre ſuo, & detur vobis benedictio.* Apud Maccabæos Matathias zelatus legem, Iudæum, idolis ſacrificantem, palàm occidit. Antiqua ſunt hæc teſtimonia, dices: Paulus V. eſt Vicarius non Moyſi, ſed Chriſti: Chriſtus ait: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicii. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicii: qui autem dixerit fratri ſuo, racha, reus erit concilii: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Optimè: ſed Chriſtus etiam dixit expedire, vt tantùm ſcandalizans puſillum, ſuſpenſâ molâ aſinariâ in collo eius, demergatur in profundū maris. Qui iuſſit demergi, nonnè iuſſit occidi? qui demergit, nonnè occidit? Vnicuique dictum eſt in vtrâque lege, *Non occides*, & tamen eſt, qui occidit, & neutrā tranſgreditur legem: ſi ſcilicet miles ſit, aut publicâ functione cogatur, diceret Auguſtinus. *Nequaquam dedis. & contra hoc præceptum fecerunt, quod dictū eſt, Nō occides, qui Deo autore bella geſſerūt,* aut

Matth. 5.

Matt. 18.

23. q. 5. c. De occidedis. & cap. Non occides.

Aut perſonam gerentes publicæ poteſtatis, ſecundũ ius legis, hoc eſt iuſtiſſimæ rationis imperium, ſceleratos morte punierunt. Et adducens caſum Abrahæ, accincti ad occidendum proprium filium, iuſſu Dei; & Samſonis, qui ſeipſum cum hoſtibus, latenti impulſu Spiritusſancti, ruinâ dom' oppreſſit, ait: *His igitur exceptis, quos vel lex iſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialiter iubet occidi, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.* Nonne S. Paulus dixit oportere Epiſcopum eſſe non pcuſſorem? Is autem Elyman, retrahentem accedentes ad fidem, verbis aſperrimis increpauit, & cæcitate percuſſit. *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas: & nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus non videns ſolem vſque ad tempus: & confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ.* Nõne Petrus pro fraudatione tantùm partis pretii vnius agri Ananiam, & Sapphiram ſolâ increpatione ita confecit, vt repentè caderent? qui ferè eodem ictu verbi mortui ſunt, & ſepulti; cuius rei Sapphira non niſi conſcia erat. Quæris rationem horum? Ipſe tibi Cardinalis reſpondeat. Is narrans, quomodo Sergius Neapolitanus, Dux militiæ ob fœ-

1. Tim. 3.

Actor. 3.

Actor. 5.

ob fœdus initum cum Sarracenis fuiſſet à Ioanne VIII. Summo Pont. excommunicatus, & ab ipſo fratre germano ſuo Athanaſio Epiſcopo captus, excœcatus, & Romam miſſus: cuius rei Ioannes Pontifex celebri epiſtolâ Athanaſium commẽdat, & ait: *Quantumlibet debeat eſſe Chriſti Sacerdotium incruentũ, & Epiſcopi percuſſores eſſe non debere ab Apoſtolo admonentur: tamen qui ſpiritu oris ſui interfecit Ananiam, & Sapphiram Petrus, iſta tunc ſcribere docuit ſucceſſorem: atq; probare ab alio iuſtè factum, quod ipſum ſciret impellente ſpiritu perpetraſſe. Zelus purgat facinus, quo exeſus Dominus Redemptor noſter, mitis, & humilis corde, percuſſor eſt factus, & Petrus eodem æſtuans, occiſor euaſit; eodemq; ardẽs Paulus, excœcator. Zelus igitur non aufert, aut polluit Sacerdotium: ſed, quod prædicatur in Phinee, reddit illud perpetuum, & illuſtrius.* *Annal. Tom. 10. Anno Chriſti 877.*

Caput VII.

De intellectu verborum, Occide, & manduca: *& quomodo excommunicatio ſit occiſio, & viuificatio.*

AT neq; Angelus Petro, neq; Baronius Paulo de huiuſmodi occiſione

locuti ſunt. Incruentū eſt hoc gen⁹ mortis, adeò ſalutare, vt directè tendat ad vitā: tantò perfectiorē, quantò perfectior eſt vita animæ vitâ corporis. Nā ſi de animalib⁹ illis ſecundū literā intellexiſſet Deus, quid horribilius, quàm vt cogatur Petrus dracones manducare, & viperas? Si de hominib⁹, quid inhumanius quàm hominē homines nō perimere ſolùm, ſed & comedere? Sit ipſe Baronius ſui Voti ac Viſionis interpres. *Petrus*, ait, *iubetur eas occidere; obſiſtere ſcilicet, pugnare, & expugnare, ne tales ſint penitus.* Et declarans, quid ipſe in Voto per occiſionē intelligat, & quis ſit finis; ſequitur: *Eſt excōmunicatio non ad occidendū venenū, ſed ad ſanandū aptiſſimū medicamentū.* Quid manifeſtiùs? I nunc, homicidā voca Baroniū: i, dic, Votū impiū eſſe, militare, & ſanguinariū. Eodē zelo, medio, & fine Sanctus Apoſtolus execrans ſcortationem illam abominabilem Corinthiorum quorundam, qui cum nouercis ſuis commiſcebantur, non abſimilem concipit excōmunicationis ſententiā; eamq; hac formâ Corinthiis tranſ-
1. Cor. 5. mittit: *Ego quidē abſens corpore, præſens autem ſpiritu iam iudicaui vt præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu cū virtute Domini Ieſu, tradere huiuſmodi*
Satanæ

Satanæ in interitũ carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eodem modo Hymenæũ, & Alexandrũ, fidei deſertores, excommunicauit, hæc ſcribens Timotheo: *Hoc præceptũ cõmendo tibi fili Timothee, ſecundũ præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonã militiã, habens fidẽ, & bonã conſcientiã, quã quidã repellentes, circa fidẽ naufragârunt, ex quib. eſt Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.* Fidẽ, ait, & bonã cõſcientiã: id eſt, fidẽ cũ bonis operib⁹, & charitate coniunctã: cuiuſmodi cõſcientiã priùs exuerunt Hymenæus, & Alexander, & exinde apoſtatarũt à fide. Fit. n. vt, q timorẽ Domini abnegãt, & mandata eius nihilifaciũt, eiuſq; Eccleſiæ, ad peiora, deſtituti, labantur: datiq; in reprobum ſenſum, naufragent tandẽ in his, q̃ fidẽ attingũt. Tradebãt autẽ Apoſtoli malos ſpiritib⁹ malis vexandos ſpiritualiter ſimul & corporaliter, vt his miraculis prima ſemina fidei firmiùs, & ocyùs radices figerẽt. Nũc verò excõmunicati ꝑpterea dicũtur traditi Satanę, quia ab Eccleſię ſinu eiecti, Eccleſię ꝑtectione, auxiliis, & Sacramẽtis priuant. Quapropter ſi crudelis eſt Card. Baroni⁹ ſic cõſulẽdo, ſi crudelis Paulus V. ſic excõmunicando, multò crudelior fuit Paulus Apoſtolus eo modo Satanæ tradendo. 1. Tim. 1.

23.q.4.c. Quid crudele? dendo. At, inquit Auguſtinus contra Fauſtum, & habetur in Canone: *Apoſtolus non crudeliter, ſed amabiliter tradidit hominem Satanæ in interitũ carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini Ieſu: tradidit & alios, vt diſcerent non blaſphemare.* Vt Pauli, ita Baronii planiſſima verba ſunt, vt Marſilianis ſcholiis nõ indigeant. Attendamus tamen quàm benè ratiocinetur hoc in loco noſter Peripateticus. *Vt autem,* ait, *hanc occiſionem eſſe excommunicationem, non ſolùm adducitur ſcripturæ loco, Actor.10. vbi dictum eſt Petro, Macta, & manduca; verùm etiam verbis Nicolai V. Pontificis Maximi, qui excommunicationem dicit non eſſe ad occidendum, venenum; ſed ad ſanandum, aptiſſimum medicamentum.* Et inferiùs. *Veniamus,* ſubdit, *nunc ad probationem: quæ nihilominus, veniâ tanti viri dictum ſit, ruit, atq; ratio, quæ in ipſa fundatur. Excommunicatio,* inquit, *eſt occiſio, quia Nicolaus V. dicit eſſe non ad occidendum, venenum: non percipio illationem: niſi fallor, contrarium infertur. Nicolaus dicit excommunicationem non eſſe ad occidendum, venenum; ergo excommunicatio non eſt occiſio. Quod ſi ita eſt, quomodo dictum eſt Petro, Occide, & manduca, id eſt, excommunicationem inflige?* Hæc ſunt illa Martialia argumenta, quibus Mundi

cardi-

cardines concutiuntur. Siccinè logicaris Marſili? Hoc certè modo ex Euangelio etiam Alcoranum formabis. Cachinnantur & pueri. Cardinalis inquit ad Paſtorē pertinere occidere: ꝓbat hoc verbis ſcripturæ dictis Petro, *Occide, & manduca.* Declarat dein occiſionē ſecundū ſenſum Viſionis eſſe vitalē, tum & vitalē eſſe ſecundum ſenſum ſuæ applicationis. Ex his infert duo, vnū pendens ex altero: primū, quòd occiſio ſic accepta non ſit crudelitas: ſecundū, quòd ſit pietas. *Sic igitur*, ait, *non eſt occiſio iſta crudelitas, ſed pietas, atq; ſyncera charitas, cùm ſic occidendo ſaluet, q̄ eo modo viuere ſinendo perierat.* Vtrumq; hoc immediatè, & aptiſſimè probat. *Eſt*, inquit, *excommunicatio, vt Nicolaus Papa docet, non ad occidendum, venenū; ſed ad ſanandū, aptiſſimū medicamentū.* Formemus conſequentias. Excōmunicatio nō eſt venenū, ad occidendū: probatur autoritate Nicolai: ergo excōmunicatio nō eſt crudelitas. Ecce probatū primū. Prętereà: Excōmunicatio eſt medicina ad ſanandū: ita eſt per eundem: ergo excōmunicatio eſt pietas: ſequitur. Hæ ſunt Cardinalis conſequentiæ: hæc probare voluit, & probauit. Tu autem nugaris, eum voluiſſe per autoritatem Nicolai probare excommunicationē eſſe occiſionē. Eſto, inquies, eū

probaſſe, q̄ immediatè antè dixerat; nihilominus eadē autoritate ſuperiorib⁹ ſuis verbis cōtradicit. Nō intelligo. Fac tuas conſequentias. Excommunicatio, ais, nō eſt venenum; ergo excommunicatio non eſt occiſio. Concedo cum gratia, & priuilegio. Ergo, replicas, ſibi cōtradicit Baronius, & producta ab eo autoritas contra ipſum reclamat, qui excōmunicationē vocauit ab initio occiſionē. Nequaquā ſibi contradixit: & tamen dixit eſſe, & nō eſſe occiſionē. Corrugas nares? Dicit Nicolaus excommunicationē nō eſſe venenū, nunquā cōtradixit Baronius; imò idē per Baronium dictum erat, quod Nicolai ſententiâ confirmatur. Nam eam aſſumpſerat Viſionē, per quam animalia venenoſa debebant mactari, venenumq; priùs deponere, deinde manducari: ita vt excōmunicatio non pro veneno, ſed pro antidoto veneni ſuſcepta ſit, & inde etiam vocata occiſio, quod ſcilicet venenata occidat. Rurſus, dixit Nicolaus, excommunicationē non eſſe ad occidendū. Hoc idem antè dixerat Baronius, nempe quòd eſſet ad ſalutē, & vitam; & hoc probabat. Ergo, repetis, excommunicatio non eſt occiſio. Affirmo in eum ſenſum, in quem loquitur antecedēs, & in quem Nicolaus Papa loquitur; id eſt, ad occidendum: eſt enim

alia occiſio ad occidendum, alia ad viuificandũ. *Cùm ſic occidendo, ſaluet*, ait Cardinalis. Quid eſt, *Sic?* limitatè, iuxta hunc modũ; non literaliter, quia litera occidit; ſed ſpiritualiter, quia ſpiritus viuificat. Sibi ergo non contradicit Votum, cùm occiſionis nomen, diuerſo ſenſu, ſit, & non ſit occiſio. Nonnè & tu Neapolitanus es, & Dominos tuos vocas Venetos? Profectò eadem contra te rotundiſſima retorquere potero argumenta; hoc modo: Baptiſmus dat vitam, dicente Domino. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: ergo baptiſmus non eſt occiſio. Sed Petro de Gentibus admittendis ad fidem, dictum eſt, Occide: ergo vel baptiſmus eſt occiſio contra verbum Domini; vel Dominus in ea Viſione non intellexit de baptiſmo: & hoc eſt contra tuam ipſam ſententiã, & ipſius textus. Quamobrẽ eadem ratione, quâ eſt, & nõ eſt occiſio reſpectu baptiſmi; eſt, & nõ eſt occiſio reſpectu excõmunicationis. Ait Domin⁹; *Lazarus amicus noſter dormit*: q mortuus verè erat, ſubditque eodẽ tempore; *Lazarus mortuus eſt*. Si mortuus, quomodo dormit? Si dormit, quomodo mortuus? Mortuus; quia omninò anima ſeparata erat à corpore: Dormit; qã breui erat reſtituẽda corpori.

2. Cor. 3.

Ioan. 3.

Ioan. 11.

Ita vt, quæ vera erat mors, diceretur ſomnus per ſimilitudinem, reſpectu futuræ excitationis, & vita ipſa reuocanda, reſpectu finis. Vitalis eſt Euchariſtia, docēte Domino; *Si quis mãducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ.* Et eadem eſt mortalis, docente Apoſtolo; *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Vnde pòſt Sanctus Thomas cecinit; *Mors eſt malis, vita bonis: Vide paris ſumptionis, Quàm ſit diſpar exitus.* Ita occidit excommunicatio, ſi propter defectum recipiētis non proficit: viuificat autē, ſi eam patiens patienter fert, & à ſuâ culpâ humiliter reſiliens, viuo Chriſti corpori redintegratur. Occidit, nam damnat: viuificat verò, nam damnat temporaliter; ne ſic damnatus damnetur æternaliter. *Quia & ipſa, quæ damnatio nominatur, quam facit Epiſcopale iudicium, quâ pœnâ in Eccleſiâ nulla maior eſt, poteſt, ſi Deus voluerit, in ſaluberrimam cedere, atque proficere*, inquit Canon ex Auguſtino. Additque Gloſſa. *Non damnat, id eſt, non diſponit damnare æternaliter: & talis damnatio medicinalis eſt, non mortalis.* Occidit, inquam, quia membrum abſcindit à viuo corpore, in quo manebat; viuificat, quia corpus ſeruat, ne langueat per membrum

mar-

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

24. q. 3. c. corrigatur.

narcidum, quod continebat. Occidit, quia ſubtrahit auxilium gratiæ; viuificat, vt amotâ culpâ redeatur ad gratiam. Occidit, quia bonorum Eccleſiæ participatione priuat; viuificat, quia inde priuat, vt cumulatiùs reſipiſcẽti reſtituat. Occidit, quia Satanæ vexandũ dimittit; viuificat, vt mortificatum ad autorem vitæ reducat. Occidit, quia cenſura, & pœna eſt eccleſiaſtica; viuificat, quia ſimul remedium eſt, & medicina. Occidit zelo iuſtitiæ; viuificat feruore charitatis: occidit crimina; viuificat virtutes: occidit veterẽ hominem; viuificat, & regenerat nouum. Occidit demum, cùm ſit mucro Epiſcopi, & Eccleſiaſticæ poteſtatis in foro iudiciali: vnde excommunicans dicitur percutere, ferire, fulminare: indeq; ſequuntur effectus pœnales hoc quadraſticho comprehenſæ.

Gratia ſubtrahitur magis, ac magis obicerupto: S. Bonau. 4. Sent.
De vitio ruit in vitium, ſuffragia perdit; diſt. 18.
Et Satanæ citius vexandus traditur ille,
Quem ligat ex propriis anathematizatio culpis.

Viuificat autem, vt his pœnis, ceu filius prodigus in ſe reuertatur, & cogitet redire ad Patrem. Quemadmodum & Deus tradidit ſuos ad tempus in manu Seſac: 2. Paral. 12.

 dixit-

dixitque Semeias ad Roboam, & Principes Iuda: *Hæc dicit Dominus: Vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos in manu Seſac, Cõſternatiq; Principes Iſrael, & Rex, dixerũt: Iuſtus eſt Dominus. Cumq; vidiſſet Dominus, quòd humiliati eſſẽt, factus eſt ſermo Domini ad Semeiam dicens: Quia humiliati ſunt, nõ diſperdam eos: daboq; eis pauxillum auxilii, & non ſtillabit furor meus ſuper Hieruſalẽ per manum Seſac. Veruntamen ſeruient ei, vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis Regni terrarum.* Hic eſt Deus, cuius vices in terris gerit Paulus V. Tandem, *Auerſa eſt ab eis ira Domini, nec deleti ſunt penitus: ſi quidem in Iuda inuenta ſunt opera bona: confortatusq; Rex Roboam, in Hieruſalem regnauit.*

CAPVT VIII.

Occidere eſt miniſterium Paſtoris: ita vt non ſit Paſtor, qui non occidit, cùm opus eſt.

SI ergo excommunicare eſt ſic occidere, ſequitur quòd ſic occidere, id eſt, excõmunicare, ꝑtineat in primis ad Petrũ, & Petri ſucceſſores. Nã ligare, & ſoluere in foro iudiciali ſpectat ad officium Prælationis; & Petro, ſummo omnium Prælato, eiuſq; ſucceſſoribus, eiuſmodi claues à Domino traditæ ſunt. Qui Petrus eas ſuſcepit

ſcepit in perſona Eccleſiæ. Idemq; eſt dicere, duplex eſt miniſteriũ Petri, quòd duplex eſt poteſtas clauiũ; ordinis ſcilicet, & iuriſdictionis. *Hoc audito, Phariſæi ſcandalizati ſunt.* *In veſtibulo*, ait Marſilius, *non parum offendor: Petri officium eſt paſcere, non inficior: at quomodo ſit occidere, quis intelligat?* Quidni, ſi offenderis? præſentiebas aculeos. Sume occidere pro excõmunicare, vt ſumitur in Voto, & videbis an officium Petri ſit, an non? Aperto ore dixit Cardinalis ſub occiſionis nomine ſe intelligere excommunicationem. Tu idem fateris, inſtans, in Viſione illa baptiſmum debere intelligi, non excommunicationem. Cur ergo dicis, *Quis intelligat?* Tam facilè totum Mundum dementas? Vis noſſe, quis intelligat? Omnes, præter te. Sophiſticare, vt ſoles: proba hoc: Petri officium non eſt occidere; id eſt, excommunicare. Ais, *Cui*, id eſt, Petro, *dictum eſt à Domino*, *Conuerte gladium tuum in vaginam.* Verum eſt: At Marcus Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ patronus, huius non meminit. Chriſtus etiam dixit; *Non veni mittere pacem*, *ſed gladium.* Is etiam Petro, cæteriſq; Apoſtolis eâdem nocte paſſionis, paulò antè dixerat; *Qui non habet*, *vendat tunicam ſuam*, *& emat gladium: at illi dixerunt:*

Matth.15

Matth. 26.

Matt.10

runt: Domine, ecce duo gladii hîc: & dixit Dominus, Satis eſt. Sed videamus quid cõcludas. Petro dictũ eſt. *Conuerte gladium tuum in vaginã*; ergo Petri officium nõ eſt excommunicare? Arguat te Petrus. Poſtmodũ vt doctoriſſes, promis è penuario gloſsã S. Patris Auguſtini, *Quia Zelo, ſed non ſecundùm ſcientiam illum eduxerat.* Ergo? Formaliza cum mille Scotis. Petrus eduxit gladium ſecundùm Zelum, ſed non ſecundùm ſcientiam: igitur ad Petrũ non pertinet educere gladiũ? Igitur ad Petrum non pertinet excommunicare? Quis Catholicus auferet Petro vſum gladii ſpiritualis? Auguſtini gloſſa ſupponit contrarium: nimirum Petrũ habuiſſe officiũ huiuſmodi gerendi gladii & exerendi. Non enim dicit, Petrum non potuiſſe educere, ſed nõ benè eduxiſſe: ergo ſi vt ſecundùm zelum, ita ſecundùm ſcientiam eduxiſſet, ei dictum, *Conuerte gladium tuum in vaginam*, non fuiſſet. Ergo & Succeſſor Petri cùm excommunicat ſecũdùm zelum, & ſecundùm ſcientiam, benè excommunicat. Idque eadem Chriſti verba includunt: nam is non mandat Petro, vt abiiciat gladium; ne retineat, aut geſtet gladium: imò contrà, præcipit, vt illum retineat, & in vaginam conuertat: id eſt, benè cuſtodiat, & conſeruet: prohibens hoc

modo

modo abuſum, & imperans, vt ſeruetur ad vſum. Quocirca Marcus, eiuſdem Petri diſcipulus, mentione factâ de auriculâ gladio amputatâ, conuerſionem gladii in vaginam, vt pòſt Lucas etiam fecit, ſtudio prætermiſit: ne per cohibitionem vnius actus, putares poteſtatem gladii fuiſſe ablatam. Ioannes autem addit gloſſam ſuper Matthæum. *Dixit ergo Ieſus Petro, Mitte gladium tuum in vaginam: calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibā illum?* Hęc fuit ratio prohibitionis ſecundùm literam; ne putares, Chriſtum voluiſſe paſſionem ſuam impedire. Quoniam verò tibi adeò placet (at cui non placet?) doctrina Auguſtini; quod is contra Petilianum dicit, tibi commodè dictum puta. *Pro membris Chriſti aduersùs vos ſæuiunt, & vobis reſiſtunt quicunque in Eccleſia eo animo ſunt, quo tunc Petrus fuit, cum ferrum pro Chriſti nomine ſtrinxit. Sed multùm intereſt inter veſtram perſecutionē & iſtorum. Vos ſimiles eſtis ſeruo Sacerdotis, quia ſeruientes Principibus veſtris aduersùs Catholicam Eccleſiam, id eſt, aduersùs Chriſti corpus armamini. Iſti autem tales ſunt, qualis Petrus fuit tunc, qui pro corpore Chriſti, id eſt, pro Eccleſia corporaliter pugnauit.* Sed ſi Petro inhibuit Chriſtus, ne manus inferret ſeruo

Ioan. 16.

23. q. 4. c. pro membris.

Sacer-

Sacerdotis; putaſnè inhibuiſſet multò magis laico, ne manus inferret ipſi Sacerdoti? Secundo loco idipſum probare niteris per verba Chriſti, dicentis Petro, *Paſce oues meas:* teneſque impoſſibile eſſe, copulare hæc duo, Paſcere, & Occidere. Quid ſi ego dicã, quòd Chriſtus dicẽdo, Paſce, dixit etiã, Occide? Quid, ſi dicã non ſolum eſſe Paſtoris officium occidere; verùm etiam Paſtorem non eſſe Paſtorem, niſi occidat? Loquar & ego cũ Chri-

Ioan. 10. ſto. *Bonus Paſtor*, ait, *animam ſuam dat pro ouibus ſuis: mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, cuius non ſunt oues propria, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus.* Si ergo Paſtor non occidens, cùm opus eſt, ſit mercenarius, & mercenarius non eſt Paſtor; ſequitur, quòd Paſtoris officium ſit occidere: & niſi occidat, quos expedit, non ſit Paſtor. Quomodo autem poteſt Paſtor paſcere oues, niſi occidat lupum, exturbantem eas, ne paſcant, imò & dilaniantem? Igitur qui dixit, Paſce, dicendo, Paſce, dixit, Occide: Paſce agnos, Occide lupos. De hac occiſione, de his animalibus Cardinalis locutus eſt. *Cum verò*, inquit, *non cum ouibus, & agnis negotium ſit, ſed cum leonibus, & aliis feris animali-*

malibus refractariis, & aduerſantibus agendum ſit, Petrus iubetur eas occidere. Eſtnè ergo impietas Paſtoris, occidere lupos, an pietas? officium eius, necnè? Non nego, inquies, Paſtoris eſſe occidere lupos, ſed non oues. Nec de ouibus Baronius loquitur. At non licebit etiam Paſtori occidere hœdos? Ieſus Chriſtus, Summus Paſtor, nonnè ſeparabit in die iudicii agnos ad hœdis? Non dicet hœdis, *Ite maledicti in ignem æternum?* Non licet ipſas oues morbidas ſegregare, ne totum corrumpant ouile? Ecquid ſignificat excommunicare, niſi extra communionem abigere? à communione Sacramentorum, ſiue etiam fidelium ſeparare? *Reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant*, inquit Hieronymus. *Quis deinde*, ais, *in animum inducat ſuum, quo pacto illa duo miniſteria copulentur: fouent Paſtores ouilia; lupi iugulant: Paſtores cuſtodiunt; lupi perdunt: paſtores paſcunt; lupi occidunt: ipſe tamen homo pacis, Paſtoris eſſe duplex miniſterium pronunciat: paſcere, & occidere.* Imò propterea homo pacis eſt Baronius, quia vtrumque dixit: ad hominem enim pacis

Matth. 25.

24. q. 3. c. Reſecãdæ.

non

non minus attinet ſeruare ciues, quàm occidere hoſtes: hosque non occidendo, ſed infra mœnia recipiendo, non eſt, eſſe hominem pacis, ſed belli, cladis, ſeruitutis, & exterminii; imò etiam hoſtem eſſe, & proditorem. Inquit Chryſoſtomus, Paſtoris eſſe officium, fouere, cuſtodire, paſcere oues; Lupi, iugulare, perdere, occidere oues. Quid, oro, colligitur ex his? Paſtoris officium non eſſe, iugulare, perdere, occidere oues. Quis abnuit? Non ob id concluditur abſolutè, Paſtoris officium non eſſe occidere. Sicut enim lupi eſt iugulare, perdere, occidere oues: ita Paſtoris eſt occidere, perdere, iugulare lupos. Tuq; ipſe dicens, luporum eſſe occidere, infers neceſſariò, Paſtoris etiam eſſe, occidere: nam eius eſt occidere lupos, cuius eſt cuſtodire ouile à lupis. Væ ouibus, ſi tu fuiſſes Paſtor; quia, ne occideres, lupis caulam deſeruiſſes, & oues. Ad alia nihil dico, cùm nihil aliud facias, quàm latrare, ſannoſiſſimus Cerberus contra Paſtores: & hæreticorum more, à malis paucorum vitæ exemplis, ad rem fidei diſceptationem ineptiſſimè trahens, quod rationibus probare nequis, impudentiſſimis criminationibus circumfundis.

CAPVT

Caput IX.

Applicatio Viſionis Excommunicationi, bona eſt: nec Eccleſiæ, nec Sanctis Patribus, nec Baronio contraria.

NOn æquioribus argumentis, nec modeſtioribus verbis totam hanc Viſionis applicationem dilaceras. Neque minorem Doctorum numerum aggeras ad probandum in ea oſtenſam eſſe admiſſionem Gentium ad Chriſti fidem: & inſudas, quaſi aliquis tibi contradicat: quaſi non ipſi apices textus hoc exclamēt. Totum caput decimum Actorum à prora ad puppim nihil aliud continet Tota hiſtoria Cornelii Centurionis idipſum copioſiſſimè narrat. Hæſitante Petro, quidnam ſibi vellet Viſio, ecce viri tres, miſſi à Cornelio, ante ianuam Petri. Conuenientibus Petro, & Cornelio, & narrante vtroque Viſionem ſuam, verba Angelica per Cornelium recitata ſenſum Viſionis reuelarūt omninò. Ipſeq; Petrus in hunc ſermonem erupit: *In veritate comperi, quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni Gente, qui timet illum, & operatus eſt iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Quod fuit præclaræ eius concionis exordium. *Ad-*

huc loquente Petro verba hac, cecidit Spirituſſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum: & obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spirituſſancti effuſa eſt. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus; Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritumſanctum acceperunt, ſicut & nos? & iuſſit, eos baptizari in nomine Ieſu Chriſti. Hæc Viſionis explicatio in textu ex textu. Quid oculatius? Marſilio autem non ſufficit Sanctus Lucas, Chroniſta Apoſtolorũ; non Cornelius, de quo agitur; non Petrus, cui facta eſt Viſio; non Iudæi præſentes; non Gentiles vocati, & per Viſionẽ intellecti; non Angelus Corneliũ docens: non ipſe Spirituſſanctus ſuper Gentes effuſus, vult alios rei expoſitores, Auguſtinos, Ambroſios, Hieronymos, Gregorios, Bedas, & quoſcunq; alios Doctores: cùm ſatis fuiſſet dicere, haberi in textu verbis & factis, non aliã eſſe Viſionis intelligẽtiam. Hinc apparet eius animi liuor, quo Cardinalẽ velit perſtringere, vt cõtrarium vnanimi Patrum ſententiæ, eiuſdemque Spiritus ſancti, & vt tranſgreſſorem Concilii Tridentini. Quinimò ipſum Cardinalẽ in ſuis Annalibus cum ſanctis Patribus hac

inre conſentienteẽ inducens, conatur Baronium contra Baronium eleuare. Quid dicit Conciliũ? *Decernit ſancta Synodus, vt nemo ſuæ prudẽtia innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacrã Scripturã ad ſuos ſenſus contorquens, cõtra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſcripturarum ſanctarũ; aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam ſcripturã ſacram interpretari audeat.* Hoc dicit Conciliũ. At Cardinalis neq; contra ſenſum Eccleſiæ, neq; contra conſenſum Patrum; imò ſecundùm eorundem Patrum cõſenſum, & Eccleſiæ ſenſum, & ſecundũ euidentiſſimã ipſam hiſtorialẽ intelligẽtiã, Viſionẽ expoſuit. Ait. n. in ſuis Annalibus, eumq; recitat ipſe Marſilius: *Quid antẽ ſibi voluerit cœlitùs oſtenſa Viſio, planè exitus declarauit, ita vt humana interpretatione nõ videatur indigere: nimirũ eo myſterio Eccleſiã ex Gentib. colligendã eſſe ſignificatũ.* Vt qd ergo Marſili docebis Baroniũ eũ locũ, quem dicit ex ipſo exitu adeò clarũ, vt interpretatione non egeat? An non idẽ ſentit, ꝙ Eccleſia, & Sancti Patres? Tu ipſe fateris, eum citaſſe Ambroſiũ, Auguſtinũ, Cyrillum Alexandrinũ, Gregoriũ, atq; omnes Patres, concludentemq; eos

Seſſ. 4. c. 2

Annal. Tom. 1. Anno Chriſti 41.

hac fuiſſe ſententiâ, vt locus, *Occide, & manduca*, de baptiſmo Gentium intelligeretur. Si fuiſſes in tua caliditate callidus, hanc natiuam Baronii interpretationem reticuiſſes. Eà enim tu ipſe probas, illum nec Eccleſiæ, nec Sanctorum Patrũ doctrinæ, nec Conciliorum Decretis repugnare. Nihilominus, inquies, repugnat ſibi & illis in hoc Voto, vbi Viſionẽ illam ad excommunicationis ſententiam trahit. Loquere à temetipſo. *Poſtea verò ais, ſui oblitus, hunc ipſum locum in ſuam rem adducendo, ſine interpretando (quod pace tanti viri dictum ſit) nihil mihi ſatisfacit. Primò, quia nouam, & penitus ſingularem interpretationem fabricatur, quod in ſacroſanctis Conciliis ſeriò prohibetur.* Poſtquam autem protuliſti Concilium, ſubiungis: *At Illuſtriſſimus Cardinalis locum, qui eſt de baptiſmo interpretatur de excommunicatione: quod quãtum ſit à veriſimili, ratione, ne dicam ab omnibus Sanctiſſimis Patribus alienum, facilè percipi poteſt.* O pacificũ immolatorem! Adeòne aulicus, vernalis, cæremonioſus es? *Pace tanti viri, veniâ tanti viri, Illuſtriſſimus Cardinalis*: & ſimul illum facis incõſtantem, indoctum, Scripturarum tortorem, Conciliorum reum; ac Sanctorum Patrum, ſuique ipſius non minus immemorem, quàm aduerſarium,

Molliti

Molliti ſunt ſermones tui ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. Sed illud imprimis tacere nequeo, quòd eodem loco, & tempore, quo Baronium vocare obliuioſum præſumis, tu ipſe in ridiculam obliuionem repentè incurris. Nam ſtatim atq; dixiſti, *Nihil mihi ſatisfacit:* ſubdis: Primò, *quia nouam, & penitus ſingularem interpretationem fabricatur.* Quæſo, dic: illud, *Primò*, non requirit poſt ſe, Secundò, Tertiò, vel id ſimile? Non promittit alias rationes, ob quas creditoribus tuis Baronius non ſatisfaciat? Cùm verò centurias argumẽtor & cataclyſmum probationum expectabam, ſterilem feciſti & puellarem abortum: quæſiui, & requiſiui: legi, & relegi; & nihil inueni amplius pręter primũ *Primò*. Sic primogeniti tui moriuntur inteſtati, & ſine hæredibus. Nec potes dicere illud *Primò*, eſſe additũ, vel reliquas rationes à typographis prætermiſſas: nam recuſio concordat priori editioni, à te emanatæ, & recuſores ſunt hæretici in Vrbe hæretica, tuorum furfurum amatores. Si ergo ſcripſiſti, *Primò*, nonnè oblitus es ſcribere cæteras rationes? ſi ſcripſiſti, nonnè oblitus es aſſuere? ſi aſſuiſti, nonnè oblitus es imprimere? Ita dum mendaciter aliũ obliuiosũ facis, in turpiſſimã obliuionem verè incidens, à te ipſo pœnã

Pſal. 54.

talionis abſq; mora mulctaris. Oſtendiſque ſimul paupertatem ingenii tui, non habens, vnde aliter probes, malè fuiſſe ad hunc Voti ſenſum Viſionem relatam. Eiuſdemque mendicitatis, talione anticipato, damnaris, quam paulò pòſt in Cardinalem conuiciosè euellis, dicens: *Liceat hîc mihi exclamando admirari: Tantanè fuit eruditiſſimo Cardinali locorum ſacræ ſcripturæ ad ſuam confirmandam ſententiã mendicitas, vt nullum, niſi hunc inuenerit, contra vnanimem conſenſum Patrum, & (vt cum Concilio loquar) ad ſuum ipſius ſenſum planè contortum? vt vel ex hoc pateat, ſententiæ ipſius imbecillitas, atque infirmitas. Clama voce maiore,* monet Elias, *forſitan tui loquuntur, aut in diuerſorio ſunt, aut in itinere, aut dormiunt; vt excitentur.* Liceat & mihi ſigno crucis exclamare: Tantanè fuit excellentiſſimo Doctori Marſilio locorum Philoſophiæ, Theologiæ, Canonum, Sanctorum Patrum, Euangeliorum copia, vt nullũ, niſi hunc Concilii Tridentini inuenerit; & (vt pro Concilio loquar) ab ipſo malè intellectũ, & palpabiliter extortum? vt vel ex hoc pateat ingenii eius tenuitas, & deprauatæ voluntatis infirmitas. Scrutemur Concilium. Duo ſunt præcipua verba eius notanda: primum, *Contra*: ſecundum, *Contorquens.*

3. Reg. 18.

quens. Illum reprobat ſenſum Concilium qui eſt contra Eccleſiam, & contra Sanctos Patres: illum damnat interpretem, qui contorquet ſenſum. Ille verò ſenſus dicitur propriè contradicere ſenſui Eccleſiæ, & Patrum, qui Patrum. & Eccleſiæ ſenſum excludit, & ſingularibus ſuis munitus rationibus deſtruit, velut contrarium: videlicet velut malum, aut falſum. Senſus autem Viſionis, in Voto non excludit ſenſum communem, & originalé textus. Eccleſiæ, Patrum eiuſdemq; Cardinalis in Annalibus: nec reprobatur ſenſus eiuſdem loci, datus ſecundùm literã, & hiſtoriam. Quâ de re Cardinalis nec ſibi, nec Eccleſiæ, nec Sanctis Patribus cõtradicit: qui eundem hiſtoricum ſenſum Voto etiam ſuo alibi confirmauit. Porrò illæ interpretationes inter ſe cõtradictoriè pugnant, quę ſecundùm eundẽ ſenſum interpretandi acceptæ, contraria dicunt: nempè ſi ſecundùm eundem ſenſum literalẽ hoc dicat vna interpretatio, cõtrarium verò altera. Modò Cardinalis non contrariũ, ſed diuerſo ſenſu interpretatus eſt. Si enim diuerſa dicere, eſſet cõtradicere, ſexcẽties Sancti Patres ſibi contradixiſſent, qui variis occaſionibus vario ſenſu ſcripturas ſubminiſtrarunt. Hęc eſt perẽnis ſacrarum Literarum excellentia,

affluentia, maieſtas; hæ diuitiæ, hæc diuinitas; vt diuerſi diuersa intelligentiâ ſanâ inde quotidie hauriant; vti de Geneſi in libris Cõfeſſionum latè explicat Auguſtinus.

CAPVT X.

Senſus Viſionis non fuit contortus.

TOrquens autem dicitur, qui vim facit: tortum, quod vim patitur. Iſque eſt ſenſus contortus, qui per violentiam à ſcriptura emungitur, & violenter alteri negotio applicatur. Nulla autem violentia ſcripturæ fit, ſi dicatur in ea Viſione ſubintelligi etiam poſſe excommunicationem, ſi ad excommunicandos referatur. Ibi enim Petro facta eſt Viſio, & illi executionis iuſſio, hîc Petri Succeſſori Viſio repræſentatur, & executio. Ibi ſub animalibus immundis, & feris peccatores comprehenduntur, ſimiliter hîc. Ibi actio eſt occidere, & mãducare; id eſt, obſiſtere, pugnare, & expugnare, vt poſſint couniri; hîc excommunicationis gladio mortificare, vt mortificati valeant reconciliari. Ibi finis eſt ſalus; ſalus etiam hîc. Ibique & hîc, mouens eſt charitas. Et ſicut paſtorale eſt, Sacramẽta miniſtrare, vt ibi; ita paſtorale eſt cenſuras ferre, & gladium iuriſdictionis exercere, vt hîc. Itaque cùm agens, patiens, actio, finis,

finis, mouens, officium tam benè ſibi conſentiãt, non eſt ſenſus contortus, ſed conſentaneus, ſuauiter pieque eductus. & aptiſſimè applicatus. Dicat mihi Marſili' quid ei videtur durius, intelligere etiam de excommunicatione, vbi agitur de baptiſmo; an intelligere de baptiſmo, vbi agitur de occiſione? Dicat, cur à veriſimili, & ratione alienum ſit, interpretari etiam de excommunicatione, quod primùm de baptiſmo dictum eſt? An quia excommunicatio eſt pœna, baptiſmus gratia? At & Pœnitentia, quæ à pœna dicitur, & pœnã ſatisfactionis includit, baptiſmus appellatur. Abluere, baptiſmi eſt; eſt & Pœnitẽtiæ: & ablutionem quoque excommunicatio intendit per ſuas pœnas, vt per ſuas ſatisfactiones Pœnitentiã. *Baptiſmus*, ais, *nullo modo Chriſtianos, ſed Paganos, Gentiles, Hebraos, atque illos qui Chriſtiani non ſunt, mundat, ac lauat: excommunicatio nullo modo in Gentiles, aut Paganos, aut Hebraos ferri poteſt, ſed tantùm in Chriſtianos grauiſſimè peccantes, & in peccatis obſtinatos; dum tamen ſperatur emendatio, quia eſt quadam fraterna correctio.* Quid vis per hoc? Ergo baptiſmus non eſt excommunicatio. Sum tecum. Ergo vbi agitur de baptiſmo, non poteſt etiam intelligi excommunicatio. Hoc nego. Propterea

pterea quòd Gentilis & Chriſtianus ſi conſiderentur, vt peccatores, nõ ſunt termini oppoſiti: imò Chriſtianus peccator obſtinatus, vocatur Ethnic⁹. Tradens Domin⁹ noſter legem fraternæ correctionis, ait, *ſi*
Matth.18 *Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Quem locũ Theologi & Canoniſtæ vnanimiter de excõmunicatione intelligunt. Publicanus dicitur publicus peccator, ſiue Chriſtianus ſit, ſiue Gentilis: Ethnicus, Gentilis duntaxat. Excommunicatus aũt comparatur Ethnico, quia ſicut Ethnicus eſt extra Eccleſiam, ita excommunicatus eſt ab Eccleſia diuiſus. Cur ergo dicis in Gentili nõ poſſe intelligi excommunicatũ, ſi excommunicatus, mandato Chriſti, habendus eſt, vt Gentilis? Cur adeò abſurdum facis Votũ Baronii, vt à ratione, & ab ipsâ ſimilitudine veri alienum? Vrges, Gentiles, & Hebræos nõ poſſe excommunicari. Annuo: dum tales ſunt natione, & religione. Veruntamen ſi Hebræi, & Gentiles fiant Chriſtiani, remanent nihilominus Gentiles, & Hebræi natione, quamuis facti ſint Chriſtiani religione: & ſunt capaces excommunicationis. Ponamus caſum, quòd ipſemet Cornelius, cæteriq; illi Gentiles poſt acceptum baptiſmum, ob noua grania peccata fuiſſent excommunicandi, an

non

non congruè per eandem Viſionem ſignificari potuiſſet Petro ferenda excommunicatio? Hoc fecit in ſuo Voto Baronius. At cum tã benè ratiocineris, audiamus iterum rationẽ tuam. *Excõmunicatio nullo modo in Gentiles, aut Paganos, aut Hebraos ferri poteſt, ſed tantùm in Chriſtianos grauiſſimè peccantes, & in peccatis obſtinatos; dum tamen ſperatur emendatio: quia eſt quadã fraterna correctio.* Non pcepi vltima verba; amabò te, repete. Quid eſt excõmunicatio? *Quadam fraterna correctio.* Vis, vt ſileam? Non poſſum. *Audite hæc omnes gentes*, Doctor Marſilius dicit excõmunicationem eſſe quandam fraternam correctionẽ. Quid verius? Cudatur veriverbiũ hoc literis maiuſculis ad perpetuã tui memoriam. Sed audi. Si excõmunicatio eſt q̃dam fraterna correctio, cur inditã excommunicationem vituperas? Cur Pontificem Summũ, fraternè corrigentẽ, reprehendis? Cur Cardinalem ad fraternam correctionẽ faciendam, monentem, tam atrociter inſectaris? Cur tantoperè clamitas, quòd occidere nõ ſit miniſteriũ Paſtoris, ſi ſic occidere, eſt fraternè corrigere? Cur zelaris adeò Venetos, quòd excommunicentur, ſi dum excommunicantur, fraternè corriguntur? ſi tu proximũ amas, cur eum fraternè corripi negas? *Pſal. 98.*

ſi &

Si & tu frater es, & mandato Chriſti includeris,cur & tu(quantum tua intereſt) fratrem tuum fraternè non corripis? Cur negligis mandatum Dei propter traditiones hominum? Mordet correctio? *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.*

Matth. 15.
Rom. 8.

CAPVT XI.

Nec verba viſionis ſunt contorta, nec malè Leonibus Veneti comparati.

SI ſub hoc ſenſu tortam vocas excommunicationẽ; fateor: torquet enim. Quæ magis tuo filatorio videbantur verba contorta, erant, *Occide, & manduca.* Iã quid ſit occidere, & manducare, notauit calamus. Diſplicet adhuc, leonibus eſſe Venetos comparatos. *Cur Leonum*, inquis, *tantùm meminerit, non intelligo: nam ſunt animalia magis fera, & refractaria; rapaces nimirum volucres, Tygres, venenata ſerpentes. De Leonibus nihil tale reperio: niſi fortè, quod eorum proprium ſit, quod fuit etiam Romanorum: Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.* Tu Doctor es in Iſrael, & hæc ignoras? Animalia oſtenſa Petro fuerunt omnia immunda. Cum n. dictum eſt ei, *Occide, & manduca*, reſpondit, *Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne*

commu-

commune, *& immundum*. Ea verò erant Iſraelitis mmunda, quæ & interdicta. Interdixerat autem lex, ex aquatilibus quicquid pẽnulas, & ſquamas nõ haberet. Ex volatilibus, aquilã, & gryphum, & halyetum, & miluum, ac vulturem, & omne coruini generis: ſthrutionem, noctuam, larum, accipitrem, bubonem, mergulum, ibin, cygnum, onocrotalum, porphyrionem, herodionem, charadrion, vpupam, & veſpertilionem: omneque de volucribus, quod graditur ſuper quatuor pedes. Ex terreſtribus nominatim erant prohibita, muſtela, mus, crocodil⁹, migale, chamæleon, ſtellio, lacerta, & talpa. Non habentia vngulas diuiſas, nec ruminantia: aut ruminantia, & non diuidentia vngulas, vt camelus, & choërogilius. Et generaliter omne animal, ambulans ſuper manus. Ex reptilibus verò omnia: & quicq̃d ſuper pectus graditur, & multos habet pedes, ſiue per humum trahitur. Horum autem omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli erant in linteo oſtenſo Petro: in quibus & Cẽturio intelligebatur, & Gentiles cæteri. Nec Centurio nobilis, nec Gẽtiles illi indignati ſunt non in vno, ſed in omnibus his immitiſſimis, & fœdiſſimis animalibus comprehendi. Et nos quicunque ſub lege Moyſi *Leuit. 11.*

non

non fuimus, & idolis ſeruiuimus, ſiue Romani,ſiue Veneti ſimus,fuim' omnes in eo linteo concluſi, & in turpiſſimis ac ferociſſimis illis animalibus intellecti. Cur igitur aſperum, ſi ſolis Leonibus hoc loco Veneti comparentur? Vel oportet, inter Hebræos connumeres; vel omnibus illis eos, ſicut & nos aſſimilatos agnoſcas. Cardinalis vni Leoni Venetos comparat,&Marſilius non intelligit.Spirituſſanctus omnibus illis feris Gentiles ſimiles indicat; Marſilius audet petere, Quare hoc facis?Fuimus,inquies,Gentiles, non amplius ſumus: ſumus origine Gentiles; religione Chriſtiani ſumus. Ceſſauit noſtra idolorum abominatio in illis belluis intellecta. Nihilominus,dico, peccata ſunt peccata, & crimina ſunt crimina. Cuiuſcunque generis ſint, ſiue in Gentili,ſiue in Chriſtiano ponantur,talia ſunt: eandem fœditatem, malitiã,deformitatem habent. Peſſimas Iudæorum abominationes in reptilibus, & huiuſmodi animalibus abominabilibus oſtendit Deus Ezechieli. *Hoc enim ſcitote*, dixit deinde Apoſtolus, *intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hereditatem in Regno Chriſti, & Dei Quod enim animalium ſpecies ad exprimendos*

Ezech. 8.
Epheſ. 5.

mendos hominum mores tranſſumantur, inquit Baſilius, *viſione Petri liquidò edocti ſumus per vas è cœlo deſcendens.* Et alibi, ſuper illud Geneſeos, *Et præſit beſtiis terræ,* adiecit: *In omnem quoque beſtiam decoraris imperio. Dixeris; Quid ergo eſt? Ego ne haſce beſtias in meo contineam ſinu delitescentes? Et quidem nulli numerabiles. Planè in te ipſo circumfers numeroſam, & eam apprimè turbulentam belluarum intemperiem. Dictum hoc meum, vt ne arbitreris in tuam detortum contumeliam, audi. Tibine efferueſcentis iræ impetus beſtiola videtur? In corde væſaniens ira cum oblatrarit, quo non cane efferacior eſt? Dolus quoties in anima doli fraudisq; concinnatrice ſibi delegit domicilium, num vrſo quouis in ſuo ſpeleo collatebrante eſt implacabilior?* Et per alia vitia & feras diſcurrens, concludit: *Quocirca non vna in nobis ſe collatebrant feræ. Da igitur operam, iſtiuſmodi beſtiis vt imperes.* Cardinalis ergo quàm ſobriè locutus ſit, & ſine felle, vel hinc diſcernitur, dum vnius duntaxat animalis memoriæ acquieuit, qui poterat tot alia commodiſſimè commemorare: vnius, inquam, quod nobiliſſimum eſt, & Rex ipſe animalium. Quinam magis ouibus aduerſantur, quã lupi? In quos magis oportet Paſtorem eſſe minacẽ, & vindicẽ, quàm

Baſilius Magn. Com. in cap. 14. Iſaiæ. Et in Hexameron. Hom. 11.

quàm in lupos? Nunquid & lupi non erant in linteo? Veruntamen Cardinalis de Paſtore agens, eiuſque officium dicens eſſe occidere, nominat leones, tacet lupos, vt infra ſolitos ſuæ modeſtiæ fines contineatur. Irrumpunt autem & leones in ouilia. Leonem & vrſum ſuffocauit Dauid & interfecit, gregem deprædantes patris ſui. *Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi Leo in Sylua, dedit contra me vocem, ait Dominus, ideo odi eam.* Tu autem dicis, *De leonibus nihil tale reperio.* Ergo tu, vt alter Daniel exiiſſes illæſus è laculeonũ. Quomodo Paſtoris ouiumque metaphoræ reſpondiſſent rapaces volucres, aut venenatæ illæ tuæ ſerpentes? Quid non dixiſſes, ſi tygres audiſſes Venetos appellatos? Habet Leo bonas proprietates, habet & malas: ob bonas, etiam Chriſtus dictus eſt leo: ob malas, etiam Diabolus, aduerſarius noſter. Ob bonas, etiam Marco Euangeliſtæ attributus eſt per Diuũ Hieronymũ leo: quẽ Marcum Veneti patronum venerantur, & cuius Leonẽ vulgatiſſimè geſtant. Parcere autem ſubiectis, & debellare ſuperbos, vt refricas, non ſolum fuit, ſed & eſt, & erit Romanorũ proprium, & Romani Põtificis, Vicarii Chriſti. *Qui diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: Depoſuit potentes de ſede & exaltauit humiles.*

1. Reg. 17. *Hier. 12.* *In Proœ. in Matth* *Luc. 1.*

miles. De his hactenus. Me aliô euocant admirationes,& exclamationes tuæ.

Capvt XII.

Votum Baronii totum eſt ſcripturale.

Clamas enim: *Tantáne fuit eruditiſſimo Cardinali locorum ſacræ Scripturæ ad ſuam confirmandam ſententiam mendicitas, vt nullum, niſi hunc inuenerit?* An habeat Cardinalis locorum ſacræ Scripturæ copiam, Opera, quæ ipſe facit, teſtimonium perhibeant de illo. Cur hoc loco potiùs, quàm aliis vſus eſt? Quia illi placuit, ne dicam, vt tu clamares. Vſus eſt eo loco, quia rei eſt valdè commodus, vt antè diximus. Cur non aliorum locorum ſententias pro confirmatione attexuit? Tam clara eſt applicatio, vt aliis luminibus non opus habeat. Id item maieſtas Pontificia exigit, vt perpaucis res proponatur. Id ſapientia ſupremi Præſulis, cui rem annuiſſe ſat eſt. Id autoritas dicẽtis, vt de Pythagorâ memoriâ proditur. Id Voti conditio, vt quàm breuiſſimè, quid agendum, aut non agendum conſulatur. Sed tu, qui tanto ſtudio contra tantum Doctorem, contra laudatiſſimum Cardinalem, contra ipſam Eccleſiam tam virulentam ſcribere inuectiuam voluiſti, vbi rationes, autoritates, Scripturam dereliquiſti? Te- *Ioan.11.*

E ſtaris

ſtaris quædam de officio Paſtoris: & hæc nihil ad rem. Baronius idem dicit. Teſtaris Patres ſuper Viſionem Petri, & idipſum dicit Baronius in Annalibus ſuis, quē & tu teſtaris, nec erat neceſſe. Breue eſt Baronii Votum: ſed adeò Scripturis refertum, vt ferè tot ſentētias habeat, quot verba; ipſaque cola, & commata Scripturam ſapiant. Scrutemur parumper.

Paſce oues meas. Verba ſunt Chriſti habita Petro. Ioan. 21.

Audiuit Petrus è cœlo vocem, Occide, & manduca. Actor. 10.

Vt ſint ſimul vnum, & idem in Chriſto. Ad Romanos. 12.

Cupio vos in viſceribus Ieſu Chriſti. Ad Philippenſes primo.

In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam. Ex epiſt. 2. ad Corin. c. 10.

Exulto ſpiritu. Vt cecinit Beata Virgo Lucæ primo.

Superabundo gaudio. Cum Apoſtolo, 2. ad Corinthios cap. 7.

Erige collapſam, protritam, ſepultamq́ Eccleſiaſticam libertatem. Ferè totus hîc eſt Iſaias, pro reliquiis populi contra Aſſur, Sennàcherib, aliosq; hoſtes.

Certa paratur nobis victoria. Vt Iudas hortabatur ſuos, 2. Maccabæorum. 15.

Ne-

Nobiſcum Deus. Iſa. cap. 8. & 2. Paralipomenon cap. 32.
Portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam. Verbum Chriſti eſt, Matthæi 16.
Dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum. Sic Deus Ezechieli cap. 3.
Poſui te in columnam ferream, & in murũ æneum. Sic Deus Hieremiæ cap. 1.
Memor eſto te in Eccleſia poſitum eſſe petram. Ex Matthæi 16.
In quam omnes, qui te offendent, confringentur. Ex Lucæ capite 10.
Tu verò ſemper permanebis illæſus. Ex Pſalmo 128. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute meâ, etenim non potuerunt mihi.* Et ex Pſal. 101. *Ipſi peribunt, tu autem permanebis. Idem ipſe es, & anni tui non deficient.*
Coniunctus Chriſto. Ex Paulo ad Romanos 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Ex Chriſto. *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſeculi.* Matthæi 28.
Qui tecum pugnabit, & vincet. Ex 2. Paralipomenon 32. *Nolite timere,* dicebat Ezechias, *nec paueatis Regem Aſſyriorum, & vniuerſam multitudinem, quæ eſt cũ eo, multò enim plures nobiſcum ſunt, quàm cum illo. Cum illo n. brachium eſt carneum; nobiſcũ Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt*

noſter, pugnabitq́ pro nobis. Et Iudith. 5. *Abſque ſcuto, & gladio* (referebat Achior) *Deus eorum pugnauit, & vicit.*

His adiecit teſtimonium Nicolai V. & exempla Gregorii VII. & Alexandri III. Summorum Pontificum: & ſimilitudinē illam pulcherrimam de phrenetico, quæ eſt Sancti Auguſtini ad Vincentium Donatiſtam, & habetur in Canone. *Si enim quiſq́,* ait Auguſtinus, *inimicum ſuum, periculoſis febribus phreneticum factum, currere videret in præcipitiū, nonnè potius tunc malum pro malo redderet, ſi ſic ire eum permitteret, quàm ſi corrigēdum, curandumq́ ligaret? & tamen ei tunc moleſtiſſimus, & aduerſiſſimus videretur, quando vtiliſſimus, & miſericordiſſimus extitiſſet.* Et alibi addit etiam appoſitiſſimam ſimilitudinem de lethargo. *Quid faciet Eccleſia medicina ſalutem omnium maternâ charitate conquirens, tanquam inter phreneticos, & lethargicos æſtuans? nunquid cōtemnere? nunquid deſiſtere vel debet, vel poteſt? vtriſq́ ſi neceſſe eſt, moleſta eſt, quæ neutris eſt inimica: nam & phrenetici nolunt ligari; & lethargici nolunt excitari. Sed perſeuerat diligentia charitatis phreneticum ligare, lethargicum ſtimulare, ambos amare. Ambo offenduntur; ſed ambo diliguntur: ambo moleſtari, quamdiu ægri ſunt, indignantur; ambo ſanati*

23. q. 4. c. *Nimium ſunt inquieti.*

Ibid. cap. Quid faciet?

natigratulantur. Vide quàm mendicus ſit Baronius locorum ſacræ Scripturę; quàm ſterilis rationum, quàm inſcius Canonũ, & Hiſtoriarum. Vide ex his, quot veneranda myſteria ſuis anguſtiis vnicum Votum coagitata recondat.

CAPVT XIII.

Quid ſit in promptu habere.

INter hæc excelſa literarum ſanctarum teſtimonia vnum eſt Pauli, quo Cardinalis probat, non poſſe argui Summum Pontificem nimiæ feſtinationis: his verbis: *Perge igitur Sanctiſſime Pater, quod cœpiſti, in quo non eſt, qui te redarguere poſſit nimiæ feſtinationis: cùm dicat Paulus ad Corinthiorum ſcribens Eccleſiã; In promptu habentes vlciſci omnẽ inobedientiã, in promptu hoc illi faciẽdum præcipit.* Hæc germana Paulinæ ſententiæ explicatio, & ad viuum præſentanea applicatio Marſilium, vt valdè leuem, non ſolùm mouet, ſed & commouet. *Illud etiam,* ait, *me non parùm commouet, quòd ad eiuſmodi feſtinationem excuſandam, Paulum citat, apud quem eſt, In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Conſulamus ergo Doctorem aliquem, qui Paulum explanet. Inquit Doctor Marſilius: *Quid eſt in promptu habere, niſi poteſtatem habere? Cardinalis*

verò actum, & poteſtatem confundit. Marſilianum eſt Scholium, *In promptu*, ſignificare ſimpliciter poteſtatem. Ego habeo in promptu librũ, id eſt, ego habeo in poteſtate librũ, vel poteſtatem libri, aut ſuper librum. Ego ſum in ꝓmptu exiturus, id eſt ego habeo poteſtatem exeundi; vel poſsũ exire. Tyrunculi rudimentorũ grãmatices minus ineptè loquerentur. Prõptũ eſſe, ſignificat paratum eſſe, expeditũ, alacrẽ, ardentẽ ad hoc, aut illud ſine vllâ morâ faciendũ. In promptu habere ſignificat, ad manus ita paratũ, ita facilè habere aliquid, vt ſtatim, cum opus eſt, illo vtaris. Ego habeo in promptu gladium, ſcilicet mecũ, præ manibus, adeò præparatũ, vt, vbi expedit, ſtatim illum exerã; nihil ſit, quod expectẽ; nihil, quo impediar, ne ſtatim veniã ad actũ. Ita vt, *in prõptu*, nõ ſignificet abſolutè poteſtatẽ, neq; actũ, ſed quid mediũ: nẽpe diſpoſitionẽ, & præparationẽ potẽtiæ, aut rei, reſpicientem imminentem actum: vt, cum requiritur, illicò potentia erumpat in actum. Dicit Apoſtolus, *In promptu habentes vlciſci:* Habentes, ſcilicet in actu, ſupple poteſtatẽ. *Vlciſci:* ecce actũ: *In promptu:* ecce diſpoſitionem talẽ, vt extemplò, cùm debet, potentia, ſiue poteſtas vlciſcendi, vlciſcatur, & emergat ad actum. Qua de re non verè

ait

ait Marſilius, Cardinalem intelligere actũ in verbo, *In promptu*, ſed benè intelligit immediatam executionem actus; vt protinus potentia exeat in ſuũ actũ, & poteſtas exerceat operationẽ ſuã. *In promptu* ergo dicit duo: præparatã diſpoſitionem, & celerem, ſiue expeditam executionem. Videlicet, vt ita aliq̃d ſit paratũ, & p̃ manibus habeatur, vt nullo obſtaculo cõfeſtim, cũ eſt neceſſe, ſequatur ei⁹ vſus, operatio, effect⁹. Habere n. gladiũ benè purgatũ & acuminatũ ſub clauib⁹, vel in alia vrbe, aut domo, eſt q̃dem habere gladium promptum, ſed non in prõptu. Tunc habetur in prõptu, quãdo habetur in manu, vel apud ſe, vt liberè & commodè ſtatim atq; libet, poſſit eximi. Sed cum quid dicitur, in ꝓmptu factũ vel dictũ, intelligitur ſtatim dictum aut factũ id, ꝙ ad manus habebatur, vt diceretur, aut fieret. Quod adeò eſt manifeſtũ, vt & ipſe Marſili⁹ negare nequeat. Dicit n. in fine ſui Voti: *Hæc habui, quæ de hoc Voto in promptu dicerẽ*. Hiſque ſe ipsũ confodit, & ipſemet ſuũ gloſſema ſup Paulum deſtruit. Superiùs namque volebat, vt *In prõptu* ſignificaret poteſtatem. Si ſic eſt, declaret, quid ſibi velit, dicendo; *Hæc habui, quæ in promptu dicerem?* Fortaſſis: hæc ſunt, quæ fuerunt in meâ poteſtate dicendi? vel: Hæc habui in

poteſtate, vt dicerē? Non. Sed: Hæc habui præ manibus, vel parata, vt ſtatim dicerē. Eandem interpretationem habebūt hæc duo: *In promptu habens dicere*: *In promptu habens vlciſci*. Primum autem loquitur de dictione: ſecundum de vltione: illud eſt Marſilii; hoc Pauli. Sed aliud eſt potentia naturalis, ſeu phyſica; aliud potentia officii, ſiue dominii, quæ propriè vocatur poteſtas. Aliud eſt actus pro ipſa actione, dum fit; aliud actus pro ipſo fine actionis. Aliud, eſſe actum; aliud, eſſe in actu. Aliud, eſſe potentiā; aliud eſſe in potentiā. Quos terminos Marſilius confundit: & (vt eſt ſuapte natura) Cardinalem vocat confuſorem, qui actum, & poteſtatem confundat. Cùm Cardinalis non dicat *In promptu*, eſſe actu; ſed celeriter, ſtatim debere ſequi actum, quantū attinet ad vim ſignificationis, *In promptu*. Quod n. habetur in promptu, habetur in actu, vt ſtatim, cū res poſtulat, ſequatur actus. Subiungit autē Marſilius: *Poteſtatē habere, non eſt ſtatim ad actum deuenire*. Eius loquela manifeſtum eum facit: quippe, quòd, *In promptu* non dicit potentiam ſeu poteſtatem; ſed hanc ſupponit, & ſuperaddit aliquid vltra. Petrus habet potentiam exerendi gladium; non proinde ſequitur, quòd habeat gladium in promptu:

ergo

ergo poteſtas, & in promptu, non conuertuntur. Quod manifeſtiùs conuincitur ex ſequentibus verbis eiuſdem Marſilii, dicentis: *Etiam principes ſeculares poteſtatem gladii in promptu habent.* Si poteſtatem habere, idem eſt, quod in promptu habere, ergo nugatio eſt dicere, habere poteſtatem in promptu: ſufficeret enim dicere, habere poteſtatem, vel habere in promptu. Ergo cùm dicat, Principes ſeculares habere etiam poteſtatem in prõptu, ſequitur, omninò in prõptu, aliquid ſignificare præter, & vltra poteſtatem: & non eſſe idem poteſtatem, & in promptu. Sed legamus integrè verba tua. *Etiã Principes ſeculares poteſtatem gladii in promptu habent; non tamen ex eo fit, vt ſine cauſa illâ vtantur.* Benedictus Deus. Multò minùs ex eo fit, vt vtantur illâ in perſonis Eccleſiaſticis, & non ſubiectis. Sed quid uis ꝓbare? Nimirum, quòd in promptu habere, non ſignificet erumpere ſtatim in actum, ſed tantùm habere poteſtatẽ. Proſyllogiza more tuo. Si habere in promptu gladium diceret expeditam operationem gladii, ſequeretur, quòd ſine cauſa eſſet operatio gladii: ſed Principes ſeculares nõ vtuntur gladio ſine cauſa: ergo habere in promptu, non includit imminentem actum. Hic eſt tuus Hercules: hoc elicio

à verbis tuis. Quicquid ſit de minori, quæ non in omnibus Principibus, nec ſemper verificatur: ſequela eſt falſa. Non enim ſequitur: Ego non ſine cauſa debeo vti poteſtate; ergo nō actutùm debeo venire ad actum: ergo in promptu habere non dicit ſtatim ad actum deuenire. Tu probas potiùs, quòd requiratur etiam aliud ad regularem executionem actus; nimirum cauſa. Quod non ſolùm confirmo, ſed etiam addo, requiri iuſtam cauſam, vt actus ſit iuſtus. Poteſt autē eſſe cauſa adeò præſentanea, vt gladius, qui in promptu tenetur, ſtatim veniat ad actum: hoc eſt, ſi quis percuſſus, ſtatim gladio percutientē repercutiat. Quemadmodum præſidiarius arcis habet bombardas in promptu, id eſt, oneratas, benè præparatas & collocatas, vt mox, irruentes hoſtes, aut deficiētes ciues feriat, & reprimat. Irruūt hoſtes contra ciues; deficiunt ciues á fide domini, & præſidiarius tormenta ænea contra eos mox exonerat. Hanc innuit ſimilitudinem Apoſtolus dicens, *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Non negat Apoſtolus, aut Cardinalis, non quicunq; alii, requiri cauſam: imò quia adeſt cauſa, ſequitur effectus. Et quantò maior, & pertinacior cauſa, tantò celerior, & vehementior effectus.

CAP.

CAPVT XIV.

Declaratur Apoſtoli citata autoritas.

NVnc ad Paulum. Verum eſt, in eius Epiſtolis quædam eſſe difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut cæteras ſcripturas, ad ſuam perditionem, vt ſcribit Petrus. Sed hoc in loco tam ſonora, & tractabilis eſt doctrina 2. *Pet.* 3. eius, vt ſola ſufficiat habentibus aures ad audiendũ, & digitos ad tangendum. *Ipſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiã Chriſti, qui in facie* 2. *Cor.* 10. *quidem humilis ſum inter vos, abſens autem cõfido in vobis. Rogo autem vos, ne præſens audeam per eam confidentiam, qua exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitrãtur nos, tanquam ſecundùm carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non tamen ſecundũ carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Dei ad deſtructionem munitionum; conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Et in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Hæc ille. Et monet primùm cum modeſtiâ, & humilitate: & ne huiuſmodi humilitate, & modeſtiâ eius abutantur. Deinde dicit ſe audere

contra

contra quoſdam, & minatur arma. Tum docet, ea eſſe Spiritualia. Subiungit effectum eſſe deſtructionem munitionum, & conſiliorum, & omnis altitudinis extollentis ſe aduerſus ſcientiam Dei. Subindicat finem eſſe, redigere, & captiuare omnem intellectum in obſequium Chriſti. Deſignat vſum, & modum vtendi eiuſmodi armis, eſſe, in promptu vlciſci. Concluditque materiam vltionis eſſe omnem inobedientiam. Ex hoc fonte originali ſumpta eſt Cardinalis autoritas ſecũdùm genuinum ſenſum doctrinæ Pauli Apoſtoli, quam Paulus Pontifex ad vnguem ſeruauit. Ne excidamus à Voto. Vis præcedentes monitiones, modeſtiã, humilitatem? Ait Votum: *Tua verò Sanctitas in his diutius eſt immorata: ſcribens ſæpius, dilationes iterans in hanc vſque diem.* Vis audaciam, & minas in quoſdam? Ait Votum, tales eſſe vti leones, & feras refractarias: atque mortificandos armis ſpiritualibus. Vis arma ſpiritualia? Ait Votum, pgendum eſſe ad excommunicationem. Vis effectum, & deſtructionem? Ait Votum, Petrum iuberi obſiſtere, pugnare, & expugnare, ne tales ſint penitus. Vis finem? Ait Votum, eſſe ſalutem ſpirituale͂, vt ſimus vnum cum Chriſto. Vis modum vtendi? Ait Votum cum Apoſtolo, in

prom-

promptu faciendum. Vis materiam? Ait Votum cum eodem, eſſe inobedientiam. Adeò hoc Votum exprimit animū Pauli, vt ſi Paulum in hoc caſu conſuleres, arbitror non aliud daret, quàm hoc Votum. Patet autem hîc Paulum loqui de cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quia apertè agit de armis ſpiritualibus; & in Decretis allegatur hic locus in materia excommunicationis. Et ſi non eſſet, vt eſt, manifeſtiſſimus ſenſus illius, *In promptu*, ſtandū eſſet intelligentiæ Canonis, vbi dicitur: *De excommunicationis articulo, qui tenet interpoſitâ conditione gradus iam, vt ita dicam, ſecundo vel tertio ex neceſſitate ſubiecta eſt, Beatitudo Veſtra immeritò queritur, cum Paulus Apoſtolus dicat, In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Et rubrica (vt vtamur etiam literis diſcoloribus) ait: *Secundâ vel tertiâ monitione interpoſitâ, excommunicatio procedat.* Hiſq; terminis iuris non ſolúm abundè vſus eſt Sanctiſſimus Dominus; verùm etiam antè, multi formib⁹, & diutinis adhortationibus. Quare veriſſimè aſſerit Cardinalis ſuam Beatitudinem à nemine poſſe redargui nimiæ feſtinationis. Eò quòd nō ſolùm diù, ſed & diutiùs; non ſolùm morata, ſed & immorata eſſet: non ſolùm ſæpè, ſed & ſæpiùs: non ſolùm concedens,

24. q. 3. ca. De excommunicationis.

ſed & iterans: non ſolùm terminos, ſed & dilationes.

CAPVT XV.

Vindicatur Summus Pontifex à calumniis Marſilij in hunc locum.

MArſilius autem poſtquam cum illâ ſuâ metaphyſicâ poteſtate impetiit verbum illud, *in promptu*, vlterius Paulizare contendit. *Sed non patiar quenquam*, ait, *ex hoc Pauli loco, qui allatus eſt, tam citò emergere. Attendamus itaque Paulum ad ipſos Corinthios ſcribentem. Prædico his, qui peccauerunt, quoniam, ſi venero iterum, non parcam: abſens dico, ne præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quæ data eſt mihi à Domino in ædificationem, non in deſtructionem.* Et concludit. *Hic eſt Paulus, quem Cardinalis citat.* At Marſilio dormiente ſcribebat forſitan à ſeipſo calamus. Hæc autoritas eſt vtique Apoſtoli, ſecundâ ad Corinthios; ſed in capite vltimo: nec de illâ mentio vlla fit in Voto. Cur ergo dicis, *Hic eſt Paulus, quem Cardinalis citat?* Prænuncias, quaſi magna dicturus, te nolle ab eo Pauli loco, qui citatus eſt, quenquam citò emergere; tu verò ſubitò grallis ſaltans, emergis primus, atque

que ſummergeris: & à decimo capite, vbi eſt locus allatus à Cardinale tranſultas ad tertium decimum in fine Epiſtolæ, vbi eſt locus nuper allatus à te. Sic palantem nulla te firmiter Scriptura excipit. At cum iſthoc nouo Paulo tuo quid vis? *Primò quidem*, inquis, *ei erat negotium cum peccantibus maximo peccato, hoc eſt, infidelitatis. Deinde ait, ſe nihil in abſentia actnrum. Poſtremò affirmat, ſe vſurum poteſtate non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem.* Hæc ſunt tua tria notabilia. Age iam, ſequere. *Si Paulum Apoſtolum Paulus Pontifex in his omnibus imitatus fuiſſet, certè à nemine argui feſtinationis poſſet.* Iraſcar? Sine animi perturbatione loqui non poſſum. Si tu Saulum non imitareris, minarum & cædis in Diſcipulos Domini ſpirantem; contra Paulum non fureres, cum Diſcipulis Domini anathematizantem. Si à loco Pauli producto decimi capitis non emerſiſſes, locum Pauli in tertiodecimo intellexiſſes. Primũ tuum notabile in tuo Paulo eſt, quòd Paulo erat negotium cum peccantibus peccato maximo infidelitatis. Sed attende, quid dicat Paulus meus: *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Emergo? Tantùm teſtudineo gradu, *Actor. 9.*

meo

meo proſequor grallatorium tuum. Noſſe cupis, quid vlciſci debeat excommunicatio? Inobedientiam. Sciſnè qualem? Omnem: non hanc, aut illam; ſed cuiuſcunque, vbicunque, quandocunque, quamcunque. Non ſolùm in rebus credendis, ſed & in rebus agendis committitur inobedientia: Et à proterua inobedientia in rebus agendis exoritur ſæpè ipſa apoſtaſia á fide in credendis. Hunc Paulum meum probat Paulus tuus, ita vt meus & tuus ſit vnus Paulus. Is in loco à te citato immediatè antè dixerat. *Timeo enim ne* Cap. 12. *fortè cùm venero, non quales volo, inueniam vos, & ego inueniar à vobis, qualem non vultis: nè fortè contentiones, amulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos. Ne iterum cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.* Audiſtin, quot peccatorum genera recenſet Paulus tuus? Ob hæc peccata ſubdit. *Ecce tertiò hoc venio ad vos; vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Prædixi enim & prædico, vt præſens vobis, & nunc abſens his, qui antè peccauerunt, & cateris omnibus; quoniam ſi venero iterum, non parcam.* Illis abſque

abſque velo minatur multa Apoſtolus, qui antè peccauerunt, ſcilicet antedicta peccata commiſerunt:nec ſolùm illis,verùm etiam cæteris omnibus peccatoribus. Cur tu contra ſolam infidelitatem velles excommunicationẽ contrahere? ſi propter alia peccata nõ debet ferri excommunicatio, cur ipſe Paulus manifeſtos fornicarios tradidit Satanæ? De fornicariis &raptoribus tolerãdis ab his,qui autoritatem non habent coërcendi, ait Auguſtinus: *Sanè ſi iudex es, ſi poteſtatem iudicandi accepiſti Eccleſiaſticâ regulâ, ſi apud te accuſatur, ſi veris documentis, teſtibusq; conuincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada.* Coerce, inquit Gloſſa, *admonendo: corripe, ſuſpendendo, excommunica propter contumaciam: degrada propter inobedientiam.* Itaq; quod dicitur ſub vltione omnis inobedientiæ in decimo capite, concordat cum eo, quod dicitur aduerſus peccatores varii generis in tertiodecimo:& Paulus Apoſtolus non contradicit ſibi, ſed tibi, qui bilioſè Paulo Pontifici contradicis. 1. *Cor.* 5. *lib.* 1. *de Bapt.* & 23. q. 4. *fortè in populo.*

Deinde ais in ſecũdo notabili Pauli tui, ſcripſiſſe Paulũ, ſe nihil in ſua abſentia acturum. Et hoc eſt verè notabile, digniſſimũ indice vngulato; cùm in Paulo metas, quod Paulus nunquam ſeminauit. Non

enim dicit Paulus,ſe nihil acturum in abſentiâ,ſed duriùs ſe acturum in præſentiâ. *Ideò enim*, inquit, *hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam.* Ergo etiam in abſentiâ agebat, & durè quidem agebat: comparatiuum enim præſupponit ſuum poſitiuum. Tu verò dicis Paulum nihil egiſſe in abſentiâ;qui tamen eodem in loco,eodem verborum nexu,aliter dicit. Tantæ enim es antipathiæ cum Paulis, vt ipſi Apoſtolo non parcas, & Paulum irrites cõtra Paulum. Auſculta nunc Paulũ meum, an idem ſentiat cum Paulo tuo. *Vt autem*, ait,*non exiſtimer,tanquam terrere vos per Epiſtolas; quoniam quidem Epiſtolæ,inquiunt, amaræ ſunt & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis;hoc cogitet,qui eiuſmodi eſt,quia quales ſumus verbo per Epiſtolas abſentes,tales & præſentes in facto.* Emerſimus Marſili? Hic eſt Paulus à Cardinale citatus. Si p Epiſtolas agit Paulus, cur negas, eum in abſentiâ aliquid agere? ſi dicit Epiſtolas ſuas haberi amaras & fortes, & tales reuera eſſe, quomodo abſens non corripit? Si talis eſt in facto, qualis eſt verbo, cur eum infirmum facis, & contemptibilem? ſi filo orationis nõ interrupto loquitur de armis ſpiritualibus, cur abſens non excommunicat? Si abſens & præſens durus eſt Paulus Apo-

ſtolus, cur diſplicet, ſi talis ſit in caſibus Paulus Pontifex? Ergo (ineamus fœdus) Paulus meus & Paulus tuus vnus eſt Paulus: & Paulus Pontifex à Paulo Apoſtolo non eſt alienus. *Deinde*, ſubiungis, *Paulus Pontifex abſens molitus eſt ſpicula, hoc eſt, falſis quorundam ſuaſionibus, ac rationibus inductus: quòd ſi præſens & coràm, religionẽ ſingularem, pietatem inſignem Sereniſſimæ Reip. vidiſſet, cauſas ponderaſſet iuſtitiæ trutinâ, quam in eius manibus Cardinalis collocat, nũquam in tam impeditum labyrinthũ, ipſo eodem fortaſſè duce, ſe immiſiſſet.* Iam noſco te eſſe Doctorem. Miror te non dixiſſe Summum Pontificem ad hoc debuiſſe vltra Orcades ad vltimam vſque Thulẽ, ſiue etiam ad Cathainos enauigare. Sed peius deprecaris Dominis Venetis: nam Paulus duriora ſe acturum præſentem minabatur. *Ad palatium Imperatoris irem libenter* (ait S. Ambroſius) *ſi hoc congrueret Saterdotis officio, vt in palatio magis certarem, quàm in Eccleſia. Sed in conſiſtorio nõ ſolet Chriſtus reus eſſe, ſed Iudex. Cauſam fidei in Eccleſia agendam quis abnuat? Si quis confidit, huc veniat.* Habes? Falſæ ſuaſiones ſi tuæ ſunt, eas pacificè poſſideas: alienum æs non attingã. Pueruli, fœmellæ, inſenſati, amentes ducuntur falſis: imperiti, iniqui ſuggerunt falſa.

23. q. 8. ca. Conuenior.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] ad
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] ad
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] & pro-
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] pisque
[illegible]

ibidem ſe declarans, ſequitur. *Nam etſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate meâ: quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.* Vna eademq́ue manus fabri murarii deſtruit, & ædificat; deſtruit murum antiquum, & ædificat nouum: vna eademq́ue poteſtas, vnusque gladius deſtruit veterem hominem, & ædificat nouum ſecundum Chriſtū in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Itaq; non requgnat Paulus Paulo. Si tu adeò affectabas hæc verba: *Ad ædificationem, & non ad deſtructionem;* eadem habebas in decimo capite; cur emerſiſti ad decimum tertium? Cur carpis Cardinalem, dicentem, Occide, ſi potuiſſet dicere, Deſtrue? ſi idem ſignificat deſtruere, quod occidere; occiſio, quod deſtructio? Cur in Pontificem moues, quòd deſtruat, ſi eius eſt poteſtatis deſtruere, & deſtructio eſt ad ædificationem? Cur Paulum Poutificem perſtringis, quòd non imitatus ſit Paulum Apoſtolum, ſi cum Paulo Apoſtolo vlciſcitur omnem inobedientiam? ſi cum Paulo Apoſtolo eſt fortis, & amarus? ſi cum Paulo Apoſtolo deſtruit, vt ædificet? Igitur (vt tuis vtar) quia Paulum Apoſtolū Paulus Pontifex in his omnibus imitatus fuit, certè à nemine argui feſtinationis poteſt.

contra quoſdam, & minatur arma. Tum docet, ea eſſe Spiritualia. Subiungit effectum eſſe deſtructionem munitionum, & conſiliorum, & omnis altitudinis extollentis ſe aduerſus ſcientiam Dei. Subindicat finem eſſe, redigere, & captiuare omnem intellectum in obſequium Chriſti. Deſignat vſum, & modum vtendi eiuſmodi armis, eſſe, in promptu vlciſci. Concluditque materiam vltionis eſſe omnem inobedientiam. Ex hoc fonte originali ſumpta eſt Cardinalis autoritas ſecũdùm genuinum ſenſum doctrinæ Pauli Apoſtoli, quam Paulus Pontifex ad vnguem ſeruauit. Ne excidamus à Voto. Vis præcedentes monitiones, modeſtiã, humilitatem? Ait Votum: *Tua verò Sanctitas in his diutius eſt immorata: ſcribens ſæpius, dilationes iterans in hanc vſque diem.* Vis audaciam, & minas in quoſdam? Ait Votum, tales eſſe vti leones, & feras refractarias: atque mortificandos armis ſpiritualibus. Vis arma ſpiritualia? Ait Votum, pgendum eſſe ad excommunicationem. Vis effectum, & deſtructionem? Ait Votum, Petrum iuberi obſiſtere, pugnare, & expugnare, ne tales ſint penitus. Vis finem? Ait Votum, eſſe ſalutem ſpirituale͂, vt ſimus vnum cum Chriſto. Vis modum vtendi? Ait Votum cum Apoſtolo, in prom-

promptu faciendum. Vis materiam? Ait Votum cum eodem, eſſe inobedientiam. Adeò hoc Votum exprimit animũ Pauli, vt ſi Paulum in hoc caſu conſuleres, arbitror non aliud daret, quàm hoc Votum. Patet autem hîc Paulum loqui de cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quia apertè agit de armis ſpiritualibus; & in Decretis allegatur hic locus in materia excommunicationis. Et ſi non eſſet, vt eſt, manifeſtiſſimus ſenſus illius, *In promptu*, ſtandũ eſſet intelligentiæ Canonis, vbi dicitur: *De excommunicationis articulo, qui tenet interpoſitâ conditione gradus iam, vt ita dicam, ſecundo vel tertio ex neceſſitate ſubiecta eſt, Beatitudo Veſtra immeritò queritur, cum Paulus Apoſtolus dicat, In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Et rubrica (vt vtamur etiam literis diſcoloribus) ait: *Secundâ vel tertiâ monitione interpoſitâ, excommunicatio procedat.* Hisq; terminis iuris non ſolùm abundè vſus eſt Sanctiſſimus Dominus; verùm etiam antè, multis formib⁹, & diutinis adhortationibus. Quare veriſſimè aſſerit Cardinalis ſuam Beatitudinem à nemine poſſe redargui nimiæ feſtinationis. Eò quòd nõ ſolùm diù, ſed & diutiùs; non ſolùm morata, ſed & immorata eſſet: non ſolùm ſæpè, ſed & ſæpiùs: non ſolùm concedens,

24. q. 3. ca. De excommunicationis.

ſed

ſed & iterans: non ſolùm terminos, ſed & dilationes.

CAPVT XV.

Vindicatur Summus Pontifex à calumniis Marſilij in hunc locum.

Marſilius autem poſtquam cum illâ ſuâ metaphyſicâ poteſtate impetiit verbum illud, *in promptu*, vlterius Pauliſſare contendit. *Sed non patiar quenquam*, ait, *ex hoc Pauli loco, qui allatus eſt, tam citò emergere. Attendamus itaque Paulum ad ipſos Corinthios ſcribentem. Prædico his, qui peccauerunt, quoniam, ſi venero iterum, non parcam: abſens dico, ne præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quæ data eſt mihi à Domino in ædificationem, non in deſtructionem.* Et concludit. *Hic eſt Paulus, quem Cardinalis citat.* At Marſilio dormiente ſcribebat forſitan à ſe ipſo calamus. Hæc autoritas eſt vtique Apoſtoli, ſecundâ ad Corinthios; ſed in capite vltimo: nec de illâ mentio vlla fit in Voto. Cur ergo dicis, *Hic eſt Paulus, quem Cardinalis citat?* Prænuncias, quaſi magna dicturus, te nolle ab eo Pauli loco, qui citatus eſt, quenquam citò emergere; tu verò ſubitò grallis ſaltans, emergis primus, at-

que

que ſummergeris: & à decimo capite, vbi eſt locus allatus à Cardinale tranſultas ad tertium decimum in fine Epiſtolæ, vbi eſt locus nuper allatus à te. Sic palantem nulla te firmiter Scriptura excipit. At cum iſthoc nouo Paulo tuo quid vis? *Primò quidem*, inquis, *ei erat negotium cum peccantibus maximo peccato, hoc eſt, infidelitatis. Deinde ait, ſe nihil in abſentia actnrum. Poſtremò affirmat, ſe vſurum poteſtate non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem.* Hæc ſunt tua tria notabilia. Age iam, ſequere. *Si Paulum Apoſtolum Paulus Pontifex in his omnibus imitatus fuiſſet, certè à nemine argui feſtinationis poſſet.* Iraſcar? Sine animi perturbatione loqui non poſſum. Si tu Saulum non imitareris, minarum & cædis in Diſcipulos Domini ſpirantem; contra Paulum non fureres, cum Diſcipulis Domini anathematizantem. Si à loco Pauli producto decimi capitis non emerſiſſes, locum Pauli in tertiodecimo intellexiſſes. Primũ tuum notabile in tuo Paulo eſt, quòd Paulo erat negotium cum peccantibus peccato maximo infidelitatis. Sed attende, quid dicat Paulus meus: *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Emergo? Tantùm teſtudineo gradu, *Actor. 9.*

meo

meo proſequor grallatorium tuum. Noſſe cupis, quid vlciſci debeat excommunicatio? Inobedientiam. Sciſnè qualem? Omnem: non hanc, aut illam; ſed cuiuſcunque, vbicunque, quandocunque, quamcunque. Non ſolùm in rebus credendis, ſed & in rebus agendis committitur inobedientia: Et à proterua inobedientia in rebus agendis exoritur ſæpè ipſa apoſtaſia á fide in credendis. Hunc Paulum meum probat Paulus tuus, ita vt meus & tuus ſit vnus Paulus. Is in loco à te citato immediatè antè dixerat. *Timeo enim ne*
Cap. 12. *fortè cùm venero, non quales volo, inueniam vos, & ego inueniar à vobis, qualem non vultis: nè fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos. Ne iterum cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.* Audiſtin, quot peccatorum genera recenſet Paulus tuus? Ob hæc peccata ſubdit. *Ecce tertiò hoc venio ad vos; vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Prædixi enim & prædico, vt præſens vobis, & nunc abſens his, qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus; quoniam ſi venero iterum, non parcam.* Illis
abſque

abſque velo minatur multa Apoſtolus, qui antè peccauerunt, ſcilicet antedicta peccata commiſerunt: nec ſolùm illis, verùm etiam cæteris omnibus peccatoribus. Cur tu contra ſolam infidelitatem velles excommunicationẽ contrahere? ſi propter alia peccata nõ debet ferri excommunicatio, cur ipſe Paulus manifeſtos fornicarios tradidit Satanæ? 1. Cor. 5. De fornicariis & raptoribus tolerãdis ab his, qui autoritatem non habent coërcendi, ait Auguſtinus: *Sanè ſi iudex es, ſi poteſtatem iudicandi accepiſti Eccleſiaſticâ regulâ, ſi apud te accuſatur, ſi veris documentis, teſtibusq; conuincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada.* lib. 1. de Bapt. & 23. q. 4. fortè in populo. *Coerce*, inquit Gloſſa, *admonendo: corripe, ſuſpendendo, excommunica propter contumaciam: degrada propter inobedientiam.* Itaq; quod dicitur ſub vltione omnis inobedientiæ in decimo capite, concordat cum eo, quod dicitur aduerſus peccatores varii generis in tertiodecimo: & Paulus Apoſtolus non contradicit ſibi, ſed tibi, qui bilioſè Paulo Pontifici contradicis.

Deinde ais in ſecũdo notabili Pauli tui, ſcripſiſſe Paulũ, ſe nihil in ſua abſentia acturum. Et hoc eſt verè notabile, digniſſimũ indice vngulato; cùm in Paulo metas, quod Paulus nunquam ſeminauit. Non

enim dicit Paulus, ſe nihil acturum in abſentiâ, ſed duriùs ſe acturum in præſentiâ. *Ideò enim*, inquit, *hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam.* Ergo etiam in abſentiâ agebat, & durè quidem agebat: comparatiuum enim præſupponit ſuum poſitiuum. Tu verò dicis Paulum nihil egiſſe in abſentiâ; qui tamen eodem in loco, eodem verborum nexu, aliter dicit. Tantæ enim es antipathiæ cum Paulis, vt ipſi Apoſtolo non parcas, & Paulum irrites cõtra Paulum. Auſculta nunc Paulũ meum, an idem ſentiat cum Paulo tuo. *Vt autem*, ait, *non exiſtimer, tanquam terrere vos per Epiſtolas; quoniam quidem Epiſtolæ, inquiunt, amaræ ſunt & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis; hoc cogitet, qui eiuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per Epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto.* Emerſimus Marſili? Hic eſt Paulus à Cardinale citatus. Si p̃ Epiſtolas agit Paulus, cur negas, eum in abſentiâ aliquid agere? ſi dicit Epiſtolas ſuas haberi amaras & fortes, & tales reuera eſſe, quomodo abſens non corripit? Si talis eſt in facto, qualis eſt verbo, cur eum infirmum facis, & contemptibilem? ſi filo orationis nõ interrupto loquitur de armis ſpiritualibus, cur abſens non excommunicat? Si abſens & præſens durus eſt Paulus Apoſtolus

ſtolus, cur diſplicet, ſi talis ſit in caſibus Paulus Pontifex? Ergo (ineamus fœdus) Paulus meus & Paulus tuus vnus eſt Paulus: & Paulus Pontifex à Paulo Apoſtolo non eſt alienus. *Deinde*, ſubiungis, *Paulus Pontifex abſens molitus eſt ſpicula, hoc eſt, falſis quorundam ſuaſionibus, ac rationibus inductus: quòd ſi præſens & coràm, religionẽ ſingularem, pietatem inſignem Sereniſſimæ Reip. vidiſſet, cauſas ponderaſſet iuſtitiæ trutinâ, quam in eius manibus Cardinalis collocat, nũquam in tam impeditum labyrinthũ, ipſo eodem fortaſſè duce, ſe immiſiſſet.* Iam noſco te eſſe Doctorem. Miror te nòn dixiſſe Summum Pontificem ad hoc debuiſſe vltra Orcades ad vltimam vſque Thulẽ, ſiue etiam ad Cathainos enauigare. Sed peius deprecaris Dominis Venetis: nam Paulus duriora ſe acturum præſentem minabatur. *Ad palatium Imperatoris irem libenter* (ait S. Ambroſius) *ſi hoc congrueret Saterdotis officio, vt in palatio magis certarem, quàm in Eccleſia. Sed in conſiſtorio nõ ſolet Chriſtus reus eſſe, ſed Iudex. Cauſam fidei in Eccleſia agendam quis abnuat? Si quis confidit, huc veniat.* Habes? Falſæ ſuaſiones ſi tuæ ſunt, eas pacificè poſſideas: alienum æs non attingã. Pueruli, fœmellæ, inſenſati, amentes ducuntur falſis: imperiti, iniqui ſuggerunt falſa.

23. q. 8. ca. Conuenior.

Ad tertium nunc notabile: forſitan illud eſt rubricatum. Dicis Paulum tuum aſſeruiſſe ſe vſurum poteſtate ad ædificationem, non ad deſtructionem. At Paulus meus aliter dicit. In eodem loco citato, à quo nec capillis emergo, ait non ſolùm ſe poteſtate vſurum ad deſtructionem; ſed etiam ipſam poteſtatem eſſe talem. Poſtquam enim dixit. *In carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus*; ſequitur: *Nã arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem.* Nunquid ſibi contradicit Apoſtolus? Nũquid alter Paulus loquitur in decimo capite, alter in tertiodecimo? Minimè. Aliud eſt, ad deſtructionem hominum, & virtutum; aliud ad deſtructionem vitiorum. In tertiodecimo loquitur de hominibus, & virtutibus. Dixerat enim antè; *Omnia autem cariſſimi ad ædificationem veſtrã:* & proinde circa finem ait, poteſtatem datam eſſe ad ædificationem: non ad deſtructionem. In decimo autem capite agit de deſtructione ſuperbiæ, perfidiæ, hæreſeos, & flagitiorũ? *Ad deſtructionẽ munitionum, conſilia deſtruentes, & omnẽ altitudinem extollentẽ ſe aduerſus ſcientiã Dei.* Ita vt ipſamet deſtructio ſit ad ædificationẽ: indeq; addit: *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Ipſeque ibidem

ibidem ſe declarans, ſequitur. *Nam etſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate meâ: quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.* Vna eademq́ue manus fabri murarii deſtruit, & ædificat; deſtruit murum antiquum, & ædificat nouum: vna eademq́ue poteſtas, vnusque gladius deſtruit veterem hominem, & ædificat nouum ſecundum Chriſtũ in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Itaq; non requgnat Paulus Paulo. Si tu adeò affectabas hæc verba: *Ad ædificationem, & non ad deſtructionem:* eadem habebas in decimo capite; cur emerſiſti ad decimum tertium? Cur carpis Cardinalem, dicentem, Occide, ſi potuiſſet dicere, Deſtrue? ſi idem ſignificat deſtruere, quod occidere; occiſio, quod deſtructio? Cur in Pontificem moues, quòd deſtruat, ſi eius eſt poteſtatis deſtruere, & deſtructio eſt ad ædificationem? Cur Paulum Poutificem perſtringis, quòd non imitatus ſit Paulum Apoſtolum, ſi cum Paulo Apoſtolo vlciſcitur omnem inobedientiam? ſi cum Paulo Apoſtolo eſt fortis, & amarus? ſi cum Paulo Apoſtolo deſtruit, vt ædificet? Igitur (vt tuis vtar) quia Paulum Apoſtolũ Paulus Pontifex in his omnibus imitatus fuit, certè à nemine argui feſtinationis poteſt.

Ad hæc (ais in appendice) *Paulus minatus eſt populo illi; quia agebatur de toto aſſe, hoc eſt, de fide.* Multa alia obiicit ſcelera eo in loco Apoſtolus, vt dictum eſt. *Nec tamen poſt tonitrua intorſit fulmina.* Intorſiſſet ambabus manibus, ſi contumaces fuiſſent, vt fecit aliàs. *Et nunc pro leniſſimâ ſuſpicione, & omninò ſine vllâ causâ.* Sine nulla cauſa, pro grauiſſima ratione, ait cenſor. Tibi licet etiã dicere Cœlum eſſe triangulare. *Væ, qui dicitis malum bonum,*
5. *& bonum malum*, ait Dominus: *ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce; & dulce in amarum.* Gradere, plana eſt via. *Priùs, vt ita dicam, iacta ſunt fulmina, quàm viſa ſint coruſcationes, aut ſint audita tonitrua.* Rectè addidiſti, *Vt ita dicam*; quia aliud eſt, ita dicere; aliud ita eſſe. Sex mẽſes illi tui, quos fateris à Sanctiſſimo Domino aſſignatos, non ſufficiunt coruſcationum, & tonitruorum pro vno fulmine? Tu ſolus coruſcationes alias
d. 23. non vidiſti? tonitrua non audiſti? *Nec accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum*, mandat Deus. *Certè* (affirmatio negantis) *ex ore alicuius ſpiritus procellarum.* Roma nonnullis milliaribus diſtat à mari. Qui ſpiritus, Marſili? quæ procellæ?

Ad-

Adeòne tempeſtuoſus es? Cogor dicere: *Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa.* *Pſal. 51.*

De capite tertio Seſſionis viceſima quinta Concilij Tridentini à Marſilio fruſtim citato, & maleuolè intellecto.

Recurre nunc ad Concilia, ſi Paulus deeſt. Recordor, te paulò antè adduxiſſe Concilium Tridentinum Seſſione quarta, capite ſecundo, de modo interpretandi Scripturam ſacram, & viſum eſt, quàm ingenioſè eo vſus fueris. Eadem perſpicacitate ingenii poteris vti aliis locis. Ne cunctemur. Inquis; *Concilium Tridentinum Seſſione 25. capite tertio, de excommunicatione loquens, audiamus. Quamuis excommunicationis gladius neruus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè ſalutaris; ſobriè tamen, magnaque circumſpectione exercendus eſt: cùm experientia doceat, ſi temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parere, quàm ſalutem.* Hoc tantū ex hoc capite citas, è re tua, vt putas; & taces reliquū. Sic Satan abutens Scripturâ, dixit Chriſto; *Angelis* *Matth. 4.*

ſuis Deus mandauit de te; & ſiluit, quod ſequitur. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*. Imò & quod teſtatus erat, erat contra illum: nam ſi Dei eſt imperare Angelis, non erat Satanæ imperare Deo, & dicere, *Mitte te deorſum*. Ita neque fragmentum tuum eſt pro te, ſed contra te. Concilium dicit, excommunicationem eſſe gladium: ergo malè antea reprehenderas Cardinalem, dicentem, *Occide*, pro, *Excommunica*. Concilium dicit, eam eſſe neruũ Eccleſiaſticæ diſciplinæ: ergo qui excõmunicationem frænat, diſciplinam non auget, ſed eneruat. Conciliũ dicit, ꝙ ad cõtinendos in officio populos ſit valdè ſalutaris: ergo multò magis, vt in ſuo officio cõtineantur Prouinciç integrç. Arbitraris tamen pro te eſſe verba illa, *ſobriè, & magnâ circumſpectione*. Meum non eſt interpretari Concilium; ſed quod manifeſtum eſt in Concilio, conniuentibus indicare. *Sobriè*, ait; non quotidie, ſingulis horis, frequẽter. *Circumſpectione magnâ*; apertis oculis, perſpectis circumſtantiis. Quare? *Ne contemnatur; & ruinam potius pariat, quàm ſalutem*. Quando hoc accideret, declarat ipſum Concilium: *Si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur*. Dices tu, iam temerè fuiſſe indictam? Votum ipſum contra

tra

tra quod ſcribis, tibi obſiſtit: nam indicta eſt etiam votis Illuſtriſſimorum, ac Reuerendiſſimorum Cardinalium. An leuibus de rebus? Num leuia ſint iura Eccleſiæ, vnuſquiſque Geometra ponderabit. Quamuis autem præſcripta regula bona ſit pro omnibus ferendis excõmunicationibus, Concilium tamen deducit illam ad cauſas ſpeciales, ita, vt ſit quoddã exordium caſuum ponendorum: & ſingula verba præpoſita reſpondent verbis poſtpoſitis. Dirigit enim tria genera excommunicationum: primum pro rebus perditis; alterũ in cauſis ciuilibus; tertiũ in criminalibus. Prohibet, quoad primũ genus, pro re vulgari, & ſine Epiſcopi diſcuſſione excommunicationes ferri ad finem reuelationis. Quoad verò ciuiles aut criminales: vbi realis, aut perſonalis executio fieri poteſt, mandat ab excommunicationis gladio abſtinendum. Conclude tu, an pro te, an cõtra te, faciat hoc, quod ex Cõcilio attuliſti. Sed colligamus nos, quæ ſuperfuerunt fragmenta. Dicit ibidem Concilium: *Quòd ſi executio realis, vel perſonalis aduerſus reos hac ratione fieri non poterit, ſitq́ erga iudicem contumacia, tunc eos, etiam anathematis mucrone arbitrio ſuo præter alias pœnas ferire poterit.* Nota illud, *aduerſus reos*, id eſt etiam lai-

cos,vt antè dixerat, Nota illud; *Sitq; contra iudicem contumacia*. Nota illud, *tunc:* non poſt annos biſſextiles. Nota illud, *arbitrio ſuo*; non contumacis, non Marſilii. Nota illud, *præter alias pœnas*. Quid in grauioribus caſibus? Colligamus alterũ fragmentum in criminalibus. Habetur ibidem: *ſed ſi dictæ executioni facilè locus eſſe non poſſit, licebit iudici, hoc ſpirituali gladio in delinquentes vti: ſi tamen delicti qualitas, præcedente binâ ſaltem monitione etiam per edictum id poſtulet*. Ergo non ſolùm in materia fidei, verumetiam in aliis cauſis ciuilibus, nedum criminalibus fertur excõmunicatio. Ergo in caſibus arduis bina ſufficit monitio. Tu verò Pontificem nimiæ feſtinationis arguis. Penultimum fragmẽtum non minus durum erat dentibus tuis: quod ſanè tibi omnem famem potuiſſet adimere. *Nefas autem ſit ſeculari cuilibet magiſtratui* (inquit Concilium) *prohibere Eccleſiaſtico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet, ſub prætextu, quòd contenta in præſenti decreto non ſint obſeruata: cùm non ad ſeculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat*. Rode, Marſili, ſi potes. Nefas eſſe, cauit Concilium, prætendere nullitatẽ excõmunicationis ſub prætextu de non obſeruatis contentis in

hoc

hoc decreto: & loquitur de magiſtratu ſeculari, de quocunq; . Tu autẽ cõciliator optimus, nullitatem ꝑtexis Põtificiæ excõmunicationis, & adducis initium huius capitis, ꝙ in eo contenta non ſint obſernata. Teſtaris caput, ꝙ eſt contra te. Producis rationẽ, quã in eodẽ capite Conciliũ, vt nefariã, deteſtatur, & reiicit. Vltimũ verò eius capitis fragmentũ, quoniã non inſuauius tibi erat, neglexiſti, vt alia. *Excommunicatus verò quicunq;* (concludit Concilium) *ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit, nõ ſolùm ad Sacramẽta, & cõmunionẽ fideliũ, ac familiaritatẽ non recipiatur; ſed ſi obdurato animo cenſuris annexus, in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum, tanquã de hæreſi ſuſpectũ procedi poſſit.* Hoc eſt caput ipſum Concilii, vnde tu Marſili, derelictis oculis, ſpretis auribus, ore, cæteriſq; ſenſibus, qui omnes in capite vigẽt, ſolos pro te capillulos totondiſti. De quocunq; excommunicato loquitur; quẽ excipis? Annũ tantummodo temporis figit finali reſipiſcentiæ, ſeu contumaciæ; cur valdè feſtinũ edictũ dicis Pauli Pontificis? ſed & illud formidandum, ꝙ in fine ſubiungitur; ꝙ & horreo rememorare.

Capvt XVII.

De capite 20. Seſſionis eiusdem, fruſtrà quoq; & malè per Marſilium citato.

Tum

TVm volens nimiæ ſeueritatis notare Pontificem, altero Concilii loco fruſtìm quoque abuteris. *Idcirco*,ais,*Seſſ. eadem*,*cap. 20. Principes, Reges, Reſpub. Imperatorem tantùm admonet*; *ſine ſtrepitu, ſine minis, ſine fulminibus, vt Eccleſiaſtici iuris protectores eſſe velint, ne qui illud impediant. Vide, quàm moderatè, quanto cum honore cum Principibus agat: quos non excommunicatione ferit*; *quibus excommunicationem non minatur*; *ſed tantùm admonet, vt venerentur* Eccleſiaſticum *ius, vt illud impedientes, tanquam protectores coerceant.* Diſce hinc tuipſe, quãtò maiori honore, quantò moderatiùs agere debeas,&loqui de Principibus ſacris. At formas conſequentiam penitus irreconciliabilẽ. Concilium monet tantùm, non excommunicat Principes, vt protegant iura Eccleſiæ: ergo ſi ipſimet violauerint ea, ſunt monendi duntaxat, non excommunicandi. Dicis hoc? Si aufers à verbis tuis illud exceptionis, ſequitur hæc alia conſequentia: Principes fuerunt moniti bonis verbis à Concilio, vt tuerentur Eccleſiæ ius; ergo eadem æquitate, par eſt, vt Prælati Eccleſiæ erga eos vtantur. Valdè comiter. Sed ſi Principes ipſi violent? Moneantur, atque iterum moneantur. Si non paruerint? Ceſſandum? Proſtituenda iura

Eccle-

Eccleſiæ? Negligenda contumacia? Hoc eſſet contra Concilium hoc ipſo in loco, vbi mandat, vt ius Eccleſiæ conſeruetur illæſum: eſſet contra locum ſuperiùs citatum, vbi vult, vt contumacia excommunicatione reprimatur; vt finalis contumacia vnius anni ſit ſuſpecta de hæreſi. Promamus verba Concilii: *Cupiens ſancta Synodus Eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolùm reſtitui, ſed etiam perpetuò ſartam tectam à quibuſcunque impedimentis conſeruari, præter ea, quæ de Eccleſiaſticis perſonis conſtituit, ſeculares quoque Principes officij ſui admonendos eſſe cenſuit.* Hoc eſt capillitium aureum huius capitis: in quo integro capite de re alia nō agitur, præterquàm de defenſione, & cōſeruatione iuris, immunitatis, & libertatis Eccleſiæ: quod, vtinam, ad verbum reſcripſiſſes, & pro Voto tuo palàm edidiſſes. Aſſerit autem initium hoc, diſciplinā Eccleſiaſticam tunc ſeruari ſartam tectā, cum perpetuò iura Eccleſiaſtica ſeruantur: & non ſolùm ab Eccleſiaſticis, imò etiam à ſecularibus Principibus defendūtur. Quî enim fiet, vt Eccleſiaſticus cogatur reformari ſecundum iura Eccleſiæ, & non potiatur iuribus Eccleſiæ? Vt contineatur ſub diſciplina Eccleſiæ, & euocetur ad iura ſeculi? Sequitur Concilium.

Conſi-

Confidens eos, vt Catholicos (quos Deus ſanctæ fidei protectores eſſe voluit) ius ſuum Eccleſiæ reſtitui non tantùm eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Clerũ, Parochos, & ſuperiores ordines reuerentiã reuocaturos. Vult hîc Conciliũ non ſolùm conſeruari ius Eccleſiæ, ſed etiam ſi quod eſſet vſurpatũ reſtitui: confiditq; (adeò iuſtũ eſt) hoc cõceſſuros Principes Catholicos; Catholicos inquam. Nominatq; eos fidei protectores, vt magis hoc eſſe eorum officii confirmet. Vultq; non vt iudicẽt Clerũ, vel dehoneſtent; ſed vt ſubditos ſuos ad debitã Cleri reuerentiã reuocent: & ſuperaddit: *Nec permiſſuros vt officiales, aut inferiores magiſtratus, Eccleſiæ, & perſonarũ Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliquâ violent; ſed vnâ cum ipſis Principibus debitã ſacris Summorum Pontificum, & Conciliorũ Conſtitutionibus obſeruantiam præſtent.* Arrige aures: docet Concilium, immunitatem Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum eſſe non ſolùm Canonicis conſtitutam ſanctionibus, verùm etiam Dei ordinatione. Tu verò Conciliator nouellus, diſſerens inferiùs in tuo Voto, de libertate Eccleſiaſtica, *Atqui multi tenent*, inquis,

immu-

immunitatem Eccleſiaſticam de iure diuino. Nihil mea intereſt: nam multi etiam tenẽt, & quidem firmioribus rationibus eſſe de iure humano: quorũ Catholicã opinionẽ quia ſequitur Chriſtianiſſima Reſp. excommunicatur? Certè qui hoc facit, poteſtate nõ vtitur in illos, qui peccauerũt; ſed in illos, qui peccatum nullũ habent. Si nihil curas, an ſit de iure Diuino, an humano: ergo nihil etiam curas, an ſit de vtroq;. Si Catholica eſt opinio, ꝙ ſit de iure humano: ergo qui tenẽt eſſe de iure Diuino, apud te fortaſſe non ſunt Catholici, aut ſunt Catholici verbales: & de Concilio neſcio, quid ſentias. Si nullũ dicis peccatũ contrafacientiũ: ergo haud æquè ſtatuit Conciliũ, ſeuerè puniẽdos, qui contrafaciunt. Quid Pontificem audes exagitare, quòd inferat pœnã, vbi non eſt culpa, ſi tanta culpa eſt violare iura Eccleſiæ, vt pro eorum obſeruantia nihil non in hoc capite tangatur? Certè (vt tecum loquar) qui huiuſmodi violatores punit, poteſtate vtitur non in illos, qui non peccauerunt; ſed in illos, qui grauiſſimum peccatum habent. At vnde violationes? à cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione. O ſanctũ verè Conciliũ. Ne putes excipi Principes ex eo, ꝙ eorũ eſt curare, & procurare: nam nectitur, Magiſtratũ vnà cũ ipſis Principib. p̃ſtare

debere

debere obedientiam Conſtitutionibus Summorũ Pontificum atq; Conciliorum. Quid ergo exiliendũ aliò, ſi huiuſcemodi Decretis ſtãdũ? Quid vagamini per exteras leges, ſi Catholicũ decet Principẽ ſacris Canonibus acquieſcere? intellectum vincire? obedientiã religioſã impendere? Proſequamur Conciliũ. *Prætereaq; admonet Imperatorẽ, Reges, Reſp. Principes, & oẽs, & ſingulos cuiuſcunq; ſtat⁹, & dignitatis extiterint, vt quò largiùs bonis temporalib⁹, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eò ſanctiùs quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, tanquã Dei præcipua, eiusq; patrocinio tecta venerentur.* Hìc oportet, vt ſiſtam. Quo maiori zelo; quo eminentiori honoris, & dignitatis titulo Conciliũ oſtẽdere potuit obſeruantiã intemerandã iuriũ Eccleſiaſticorũ, quàm dicendo, *Venerentur*? Quinam? Imperator, Reges, Reſp. Principes, oẽs. Quid diceret Concilium in eos, qui non ſeruarent, nõ curarent, non honorarent? Quid in eos, qui & violarent, & iura illis aduerſantia conderent? Antea locutus erat de Magiſtratibus, nunc de ipſis egit Principibus; tantò magis eos deuinciens, quãtò dignitate, & opibus ſunt præſtantiores. *Eò ſanctiùs ait.* Hi ſunt termini Cõcilii, quod teſtaris: ſi quæ leges in honore habendæ ſunt; ſacræ habendæ in veneratione &

ſanctitate. Procedamus. *Nec ab vllis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliisuè Dominis temporalibus, ſeu Magiſtratibus, maximeq́ miniſtris ipſorum Principum, lædi patiantur: ſed ſeuerè in eos, qui illius libertatē, immunitatem, atq́ iuriſdictionem impediunt, animaduertant.* Quot nominibus Dominos nominat, ne vllum vnquam eximi autumares. Quot titulis iura Eccleſiaſtica commemorat, libertatis, immunitatis, iuriſdictionis, ne vllibi hæſitātes. Iam quærò, quomodo contra lædentes, aut impedientes animaduertendum? *Seuerè*, ait Concilium. Et in Principes, ſi ipſi læſerint, aut impedierint? Seueriùs, neceſſitate conſequentiæ. Nam magis tranſgreditur, qui magis debet ſeruare; honorificentiùs venerari; ſanctiùs cuſtodire. *Quibus etiam ipſimet exemplo* (ſubdit) *ad pietatem, religionem, Eccleſiarumq́ protectionem exiſtant: imitantes anteriores optimos, religioſiſſimosq́ Principes, qui res Eccleſiæ ſuâ in primis autoritate, & munificentiâ auxerunt, nedum ab aliorum iniuriâ vindicārūt.* Hoc eſt Catholici Principis, imitantis bonos prædeceſſores ſuos: augere bona Eccleſiaſtica; ab iniuriâ vindicare: augere munificentiâ; vindicare autoritate: non è contrario: tamq; regulariter obſeruare, vt ſit ipſe aliis regula

obſeruantię. *Adeoq; ea in re quisq; officium ſuum ſedulò praſtet, quo cultus Diuinus deuotè exerceri, & Pralati, cateriq; Clerici in reſidentiis, & officiis ſuis quieti, & ſine impedimentis cum fructu, & adificatione permanere valeant.* Habuiſti in principio Eccleſiaſticam immunitatem tendere ad reſtitutionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, iam habes finem præcipuum eſſe cultum Diuinum. Hoc eſt Concilium de Eccleſiæ iuribus conſeruandis. Deeſt aliquid? Armum de induſtriâ ſeruaui tibi. *Decernit itaq; & pracipit, ſacros Canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias Apoſtolicas ſanctiones in fauorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſtica, & contra eius violatores editas (qua omnia etiam praſenti Decreto innouat) Exactè ab Omnib. Obſeruari Debere.* Fuge, ſi potes: omnis tibi via præcluditur. Fruſtulum Concilii magis excarne elegeras; ſume armum, ſume totum, ſi integram eſuris veritatem.

CAPVT XVIII.

Luſus Marſilii ſuper Concilium: & de errore intolerabili, & feſtinatione prætenſis.

TV autem mihi ludere videris, tam ioſcosè Cõcilio vteris; planè, ac ſi nuſquam Concilium inueniatur. Modeſtiã inculcas, quâ illi ſancti Patres nõ in tranſgreſſores Principes vſi ſunt, ſed in protectores: & cùm vis inferre, farcimina addis, vt quid concludas. *Cardinalis verò*, ais, *ſine vllâ causâ Pontificẽ animat, vt religioſiſſimam Rempub. Chriſtianæ Religionis propugnaculum, Catholicæ ac Romanæ Sedis baſin atq; firmamentum, excommunicatione percutiat.* Sine vllâ causâ? Vtere memoriâ locali. At, *Qui non meruit*, ait Lombardus, *ſententiâ excommunicationis non lęditur, niſi contemnat.* Et diſertiſſimus Doctor Auguſtinus Anconitanus agens de reſiſtentia excommunicatorum, omnes huic dubio rimulas obſtruit: ſeptem caſibus, in quibus excommunicatio infirmaretur. Nimirum, ſi non ferretur à ſuo iudice. Si à ſuo iudice, ſed excommunicato, Si à delegato contra intentionem delegantis. Si poſt factam appellationem. Si à ſuſpenſo à poteſtate iuriſdictionis. Si nullâ admonitione præmiſsâ, aut nullo iuris ordine ſeruato. Si denique ſententia contineat intolerabilem errorem. *Planum eſt*, inquit, *quòd nullo horum modorum* *excepto*

Magiſt. ſent. in 4. diſt. 18.

In Summa de Eccle. poteſt. Quæſt. 23. art. 3.

excepto vltimo, excomunicatio Papalis eſt contemnenda. Nullus enim poteſt cauſare Papam, ſuum non eſſe iudicem, vel ſententiã excommunicationis eum eſſe ligatum; nec eius ſententiam eſſe contra intentionem delegantis: vel ab eius ſententiã appellare; nec à iuriſdictione per aliquem ſuperiorem eſſe ſuſpenſum; vel de iuris ordine non ſeruato, cùm ille nullo poſitiuo iure ligetur. Solùm autem ſi d prehenderetur ſententiam ferre, ponendo errorem, vel aliquid, quod eſſet peccatum mortale. Poteſt autem eſſe error intolerabilis circa res fidei: ſi (caſus gratiâ) diceret Prælatus; Ego te excommunico, quia credis in Deum: vt declarat S. Bonauentura. Vel circa quodlibet peccatum, vt exponit Gloſſa: vt ſi excommunicet ideò, quia quis non furatur, vel quia non ducit ei aliquam meretricem: vel ſi præcipiat aliquid impoſſibile, vel turpe. Hæc ſatis, vt tibi reſpondeam, & puſillis ſatisfaciam. Vocas Dominos Venetos propugnaculum: & Concilium quoque inter propugnatores Eccleſiæ intelligit: & tales cõſtantiſſimè fuerunt, & futuros perpetuò ſpero. At baſin eos eſſe Sedis Catholicæ, ac Romanæ Eccleſię, nec ipſi religioſiſſimi Domini dicerent; nec dicit Concilium; nec Euangelium: ſed Petro dictum eſt à Domino: *Tu es Petrus, & ſuper*

In 4. ſent. diſt. 18.

De ſent. excommunic. Per tuas.

per hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; Matt. 14.
& portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam. Vocas eos firmamentum eiuſdem: ego verò legi fundamentum Eccleſię eſſe Chriſtum. *Vnusquiſq; autem videat, quomodo ſuperædificat: fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Redi ad 1. Cor. 13.
Cardinalem. *Atque hortatur,* ais, *vt ſpatio ſex menſium ad arma excommunicationis in Principem inferenda peruolet: à quibus tres Summi Pontifices, Paulus, Iulius, & Pius Concilium vniuerſum poſt octodecim annorum diſcuſſionem verbis atque exemplo abſtinendum eſſe ſignificauerunt, ſi hæc non fuit feſtinatio, quæ tandem illa erit?* Dic, vbi dicat Cardinalis, *ſpatio ſex menſium?* Nec ſex, nec menſes nominantur vſpiam in Voto. Nouerint telonarii, quanti facienda ſunt verba tua. Quàm concinnum poſteà eſt illud verbum, *Peruolet?* Quaſi magnus ſit volatus ab Vrbe Venetias peruenire infra ſex menſes. Implumes ſunt forſitan aues tuæ, ſiue paluſtres. Deinde vt volatilem eiuſmodi feſtinationem exaggeres, aſſeueras Concilium Tridentinum ſpatio octodecim annorum eſſe cōpilatum: at vt magis exaggerares, poteras dicere, ſpatio viginti annorum participatiuè. Quocirca Hieronymus Ragazzonus

nus Venetus, Epiſcopus Nazianzenus in Oratione habita pro abſolutione Concilii, Cardinali Morono magis gratulatur, qui, tanto temporis ſpatio, huiuſmodi ædificio primum lapidem, & vltimam manum impoſuerat. Sed nonnè ludis cum Concilio? Octodecim annorum ſpatio compilatum eſt Concilium Tridentinū, in quo agitur de excommunicatione: ergo totidem anni requiruntur, vt vna iaciatur excommunicatio? Meus parens ſexagenarius monuit me, vt magnâ circumſpectione fierem monachus: ergo ſexaginta annis mihi erat præmeditandum, antequam fierem? Reſpondebis, te dicere, illud Concilium annoſâ conſideratione concluſiſſe, vt Prælati ſobriè, & circumſpectione magnâ, vterentur excommunicatione. At Concilium non manſit (vt & hoc reiiciam) octodecim annos in diſcuſſione huius Decreti, quod anno Concilii vltimo promulgatum eſt. Tot annis durauit Concilium, quia agebatur de tota ferè ſumma fidei; de peccato originali; de iuſtificatione; de Sacramentis; de reformatione, & aliis ad Eccleſiam attinentibus. Diſſerebatur contra hæreſes immaniter ſæuientes. Fiebant conuentus ab vniuerſo Chriſtiani nominis Orbe. Prælia inter-
uerte-
Google

uertebant. Pontifices intermortui, & Legati. Mutatæ Vrbes: aliaque obiecta à dæmone obſtacula, vt tantum Eccleſiæ bonum perturbaretur. Quod tandem Tridenti conquieuit. Mora igitur Concilii tuæ prætenſæ ad rem noſtram feſtinationi nihil conducit. Vtque ſemel in hoc tibi ſatisfaciã, Gregorii illius Summi Pontificis, qui Henricum Imperatorem anathemate collegerat, reſponſionẽ tibi in memoriam reuocabo. *Inſtabant tamen* (ſcribit Platina) *ex his, qui aderant, nonnulli Regem non ita citò anathematizãdum eſſe. Quibus ita Pontifex reſpondit. Quando, inquit, Chriſtus Eccleſiam ſuam Petro commiſit, & dixit, Paſce oues meas, excepitnè Reges? Nam cùm eidem ligãdi & ſoluendi poteſtatem daret, nullum excepit, vel neminem eius potentia ſubtraxit. Hanc ob rem qui dicit ſe vinculo Eccleſia ligari nõ poſſe, reſtat etiam, vt fateatur ſe abſolui eius poteſtate nullo modo poſſe. Et qui hoc impudenter negat, à Chriſto & Eccleſiâ eius ſe omninò ſeiungit.* *In Vita Greg. VII*

Capvt XIX.

Exempla duorum Summorum Pontificum à Cardinale congruentiſſimè propoſita.

HVius autem Gregorii VII. & Alexandri III. Summorum Pontificum comparationem omni laude dignam à Cardinale cum Paulo V. factam; illorum exempla huic commemorata, & in Voto appoſitiſſimè collocata, vſque ad conuitia deteſtaris. *Fateor*, inquis, *illos Pontifices fuiſſe vnum Senenſem, alterum ex Metropoli: ſed hæc commemoratio cauſam potiùs infirmat, quàm roborat. Neque video, cur ei ſit propterea exultandum, cùm ſit potiùs deplorandum, ipſum tamdiu vixiſſe, vt ei in mentem venerit, tempora illorum Pontificum, planè miſerrima, & calamitoſiſſima exoptare.* Rabit calamus, fluit nimiùm atramentum tuum, Marſili. Dormientibus ſub dio impletur caput humoribus. *Quis credat? Gregorii & Alexandri cupit renouari calamitates, vulnera refricari. Tædet me illorum Pontificũ hiſtorias recenſere.* Benè tibi conſulis: quòd non recenſes; nam, etiam nolens, mendacia tua, ore tuo detegeres. Cardinalis nõ dicit ſe exoptare renouationẽ calamitatũ illorũ temporũ. Qua acu hanc Cardinalis exoptationẽ attigiſti? Dicit quidẽ, ſe exultare, & ſuperabundare gaudio talẽ nunc haberi Pontificẽ, autoritatis Eccleſię vindicẽ, feruentẽ, atq; cõſtantẽ, quales fuerunt Gregorius, & Alexander. Sequitur ergo, ꝙ exoptet tempo-

tempora illa miſerrima? Veritatem dicis hanc commemorationem infirmare potiùs cauſam, quàm roborare: ſed infirmat cauſam tuam, roborat cauſam Eccleſiæ. Nam ſi Imperatores illi potentiſſimi, iūctis aliorum etiam viribus, tot annis, tot inſidiis, tot irruptionibus, imminuere nō potuerunt Eccleſiaſticam libertatem; infringere non potuerunt Eccleſiæ claues; multò minus hoc tempore alii Principes, Si tunc tantis Imperatoribus non pepercerunt Summi Pontifices pro zelo Eccleſiæ; multò minus nunc eadem de re aliis Dominis. Si tunc Imperatores reſipiſcentes retractârunt malè facta, & Pontificum reconciliationem humiliter petierunt; multò magis nunc alii Principes eorum exemplo, quantò magis Catholici. Si ii Pontifices tot bellis externis & interſtinis, tot Schiſmaticis, & Antipapis diuexati, nunquam à conſtantia defluxerunt, nunquam in re fidei, iacturam nauis paſſi ſunt; roboratur cauſa Pontificis; & confirmatur, quod Dominus Petro dixit: *Ego autem rogaui pro te, vt nō deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Eſtq; exultandum, talem nos habere Pontificem, qui vices Chriſti feruentiſſimè, & conſtantiſſimè gerat: non deplorãdum tamdiu vixiſſe Baronium, qui illo- *Lucæ 22.*

rum temporum ærumnas non exoptauit; ſed illorum Pontificum magnitudinem, & Sanctitatem in Paulo Pontifice renatas admirans, vt Simeon ſenex de aduentu Chriſti, exultauit. Non deplorandum, eum tamdiu vixiſſe, vt ipſe meminerit, & æternæ aliorum memoriæ tranſmiſerit geſta omnia Eccleſiæ à Chriſto nato; & ſuo annorum curriculo tot ſæculorum annos reuocauerit. Vtinam & tamdiu ſuperuiuat, quamdiu tam immenſum opus Mundo abſoluat. Nobiſque potiſſimum exultandum, quorum ætate hoc datum eſt: quæ ſi quibuslibet aliis infortuniis dici poſſet miſerrima, hoc vno diceretur feliciſſima. *Omitto*, adiicis, *aliam fuiſſe cauſam Henrici & Friderici, qui Simoniaci, ne quid peius dicam, habiti ſunt.* Certè alia fuit: quia id, quod contra Eccleſiam faciebant, decretis perpetuò valituris (ſi Deo placuiſſet) non confirmabant.

Luca. 2.

Sed ſi fuit alia ſpecie, non fuit alia genere: nam ambo contra autoritatem Eccleſiæ faciebant. Eâque de re Platina in fine vitæ Gregorii vocat eum acerrimum defenſorem Eccleſiæ contra malorum Principum potentiam, res Eccle-

ſia-

ſiaſticas per vim occupare conantium. Adeptus enim Pontificatum, ſtatim Henricum admonuit, ne deinceps largitione corruptus, Epiſcopatus, & beneficia alicui committeret. Quod ex ipſâ primâ Pontificiâ excommunicationes patet his verbis, *Henricum Regem, Henrici quondam Imperatoris filium, qui audacter nimium & temerariè in Eccleſiam tuam manus iniecit, Imperatoriâ administratione Regiâq; deiicio, & Chriſtianos omnes, imperio ſubiectos, à iuramento illo abſoluo, quo fidem veris Regibus præſtare conſueuerunt. Dignus eſt enim vt dignitate careat, qui maieſtatem Eccleſiæ imminuere conatur. Præterea verò quia monita mea, imò tua ad ſuiipſius, populorumqué ſalutem pertinentia contempſit, & ſe ab Eccleſia Dei, quam ſeditionibus peſſundare cupit, ſeparauit, eum anathematis vinculo colligo.* Hoc tu non dicis; ſed tantùm quæris: *Quid conſecutus eſt Gregorius poſt tot tumultus, qui ex eius in Henricum anathemate excitati ſunt? poſt tot ſchiſmata in Romananam Eccleſiam? poſt tot excidia, quibus Italia vniuerſa interiit?* At quando renata eſt Italia? Quis eam tam citò, tam perfectè tam ſpecioſè regenerauit? Quàm benè legiſti Pla-

Platinam, ad quem Lectorem remittis? Excommunicatio non præceſſit, ſed ſequuta eſt tumultus. Nam Henricus antè mouerat ſchiſmata, imperans, ne Gregorio obedientia præſtaretur; interdicens ipſi Gregorio per Romandum Pontificiā functionem: & Cardinalibus iubens, vt ad eum proficiſcerentur, alium Pontificem habituri. *Tunc Gregorius* (ait Platina) *tantam iniuriam diuinæ maieſtatis causâ non diutiùs ferens, & Sigifredum alioſq́ clericos cum Henrico ſentientes, dignitatibus ac beneficiis priuauit, & Imperatorem ipſum anathemate notauit, priuatū priùs omni Regiâ adminiſtratione.* Excidia igitur illa tua & ſchiſmata, irritamenta fuerunt anathematis, vt diutiùs Gregorius ferre non poſſet: aliiq́ue tumultus ſuccedentes ad ſuam primam originem reuoluuntur. Effectus autem non eſt cauſa ſuæ cauſæ. Si qua eorum cauſa fuit excommunicatio, paſſiua fuit, non actiua: niſi quoad effectus pœnales, qui ab excommunicatione proficiſcuntur. Fuitnè cauſa excommunicatio, vt Henricus vellet Simoniacè Epiſcopatus conferre, & beneficia Eccleſiaſtica? Fuitnè cauſa excommunicatio, vt ipſe inſatiabili auaritiæ immobiliter fixꝰ tot ſchiſmata, etiam armis, ab Inferno effoderet? Fuitnè cauſa excommunicatio, vt

Impe-

Imperialis gladius, ad defendendam Eccleſiam datus, contra Eccleſiam verſus, vellet bona Eccleſiæ radere, & ipſam Eccleſiam vulnerare? An fortaſſe odio habebat illum Pontificem? Non fuit melior cum eius ſucceſſore. Victor III. veneno in calicem iniecto, vel quoquo alio modo dato, fraude Henrici, ſextodecimo menſe Pontificatus, è viuis ſublatus eſt. Succeſſit Vrbanus II. & Henricus Robertum Flandriæ Comitem laceſſit prœlio, quo eum à ſanctâ Hieroſolymitanâ expeditione auertat. Multò ante excommunicationẽ, Hagnetem Imperatricem, de Religione benè monentem, omni adminiſtratione depulit. Tu ipſe dicis fuiſſe Henricum, & Fridericum non ſchiſmaticos ſolùm, ſed quid peius. Ergo ſæuitia, auaritia, irreligio Henrici tumultus pepererunt, nõ excommunicatio, non Gregorius. Quæris, quid conſecutus ſit Gregorius? Paulo abfuit, & dicebam, Nihil: Sufficiebat enim dicere, quòd iuſtiſſimam, & religioſiſſimam cauſam defenderat. At num parum cõſecutus eſt? Etſi Henricus, cognitâ Gregorii cenſurâ, multas literas ad gentes, & nationes conſcripſit, quibus oſtendere moliebatur ſe contra ius falſque à Pontifice damnatum; tamen parte Regni, Dei iudicio, ab illo deficiente, fuit coactus Ca-

noſſum

noſſum ire pro abſolutione & pœnitentiâ ad Gregorium. Et quomodo? Referã Platinam, cuius te tædet: *Venit & eò properè cum omnibus copiis Henricus, qui ſtatim depoſito Regali ornamento nudis pedibus, vt oppidanos ad miſericordiam commoueret, portæ oppidi appropinquans, ſuppliciter intromitti petebat. Denegatum ingreſſum æquo animo tulit, aut tuliſſe diſſimulauit, quamuis aſpera eſſet hyems, & gelu cuncta rigeſcerent. In ſuburbio quidem oppidi triduo immoratus, continuò veniam petens, tandem rogatu Mathildis & Adelai Sabaudienſis Comitis, & Cluniacenſis Abbatis introductus abſoluitur, & Eccleſiæ reconciliatur, pace iureiurando confirmatâ, obedientiâ promiſsâ.*

Ecce quid lucratus eſt Gregorius. Obedientiam, antè negatam: pœnitentiam, ad minus externam defectionis, & contumeliæ: iuſiurandumq́; eiuſdẽ, quo etiam res Eccleſiaſticas & prophanas reſtituere promittebat, vt patet ex aſſertis in ſecũdo in eum anathemate. Hẽrico verò tantùm abſolutio á cenſura, & reconciliatio data eſt, non reſtitutio Regni. Huius autem ſecundi anathematis quis fuit promotor? Henricus qui pacta fregit: iuſiurandum temerauit: & ita ſe geſſit, vt diriperet ſacra; fœdaret Eccleſias; eccleſiaſticos

ſticos trucidaret; legatos Pontificios tractaret, vt hoſtes. Quorſum Legati? vt ius Regni decernerent in Conuentu Principum, cuinam corona competeret, Rudolphonè, an Henrico? Quis elegerat Rudolphum? Gregorius? Principes Germaniæ, qui abruptis ab Henrico fœderibus, indignitate rei commoti Rudolphum, Saxoniæ Ducem, Regem Prouinciæ crearunt, reprobato Henrico. Igitur nec ſecundum anathema fuit cauſa miſeriarum, ſed Henrici perfidia, pertinacia, impietas. *Tunè es ille, qui conturbas Iſrael?* dixit Achab Eliæ: cui Elias: *Non ego turbaui Iſrael, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.* Quæris adhuc, quid conſecutus ſit Gregorius? Eccleſiæ multum; cuius iura non proſternauit. Sibi multum: præmii in cœlo, & æternæ laudis in terrâ. Rixaris, quòd Salerni mortuus ſit? Aduerte, quomodo. *Vbi non ita multò poſt, Pontificatus anno XII. Menſe vno, diebus tribus, ſanctè, & piè moritur* (inquit Platina) *Vir certè Deo gratus, prudens, iuſtus, clemens, pauperum, pupillorum, viduarum patronus, atque vnicus Eccleſiæ Romanæ fortiſſimus & acerrimus defenſor, contra hæreticorum improbitatem, &* *ma-*

3. Reg. 18.

malorum Principum potentiam, res Eccleſiaſticas per vim occupare conantium. Perpende, numera quot, & quanta conſecutus eſt Gregorius. Diſce, quid fecerit: quibus virtutibus præditus fuerit, quibus trophæis onuſtus ſupernam Hieruſalem triumphantem ouantibus Angelis penetrauit. An parum apud te eſt, Sanctè, & Piè mori? Quòd is extra Romam, quòd fluctibus agitatus interiit; his palmas auges, non minuis. Et ſi dixiſſes, eum, vt ptiſanam, cõtuſum, craticulâ toſtum; membratim decerptum pro Eccleſia Chriſti, auxiſſes magis. Eccleſiarum ius fortiſſimè retinens contra Imperialem aggreſſum, inquit Sanctus Epiſcopus Ambroſius:

24. q. 4. Conueni- or. *Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluntas eſt mihi: non ego me vallabo circũfuſione populorum, nec altaria tenebo, vitã obſecrans; ſed pro altaribus gratis immolabor.*

3. Reg. 21. Et inferius Iſraëlitæ Naboth hiſtoriã recolens, *Sanctus*, ait, *Nabuthe vites ſuas vel proprio cruore defendit: ſi ille vineam non tradidit ſuam, nos trademus Eccleſiam Chriſti? Ego faciam* (ſubiungit) *quod ſacerdotis eſt; quod Imperatoris eſt, faciat Imperator: prius eſt, vt animam mihi, quàm fidẽ auferat.* Nouerunt Sancti; nouerunt beatitudinem illam Chriſti ore inſignitam:

Matth. 5. *Beati eſtis, cũ maledixerint vobis homines,*

& perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

CAPVT XX.

De iiſdem Summis Pontificibus Gregorio, & Alexandro.

HAbes, quid conſecutus eſt Gregori⁹: iā ego quęro à te, quid conſecutus eſt Henricus? Bis Regnō expoliatus, & cēſuris percuſſus, ab Eccleſię ſinu exautoratus eiicitur. Pars Regni ab eo deficit. Imperator alter à Principib⁹ eligitur. Taceo alia bella: cū Rudolpho corriuale Regni magnis ac frequētibus cladibus dimicat. Semel tanto ſuorū incōmodo ſuperatur, vt vix 17. die inſperatò exiliat. Victoris tēpore, iterū ſiniſtro Marte cum Saxonibus pugnās, 4000. militum amittit: *Deo volēte* (notat Platina) *vt tandem deſiſteret Eccleſiā ſuā perſequi, & calamitatibus vexare.* Quo tēpore & ꝑdigia viſa eſſe aſſerit: auesq; domeſticas fugientes ad mōtes, euaſiſſe Syluestres: piſces aūt fluuiales, atq; maritimos magna ex parte periiſſe: terræmotusq; fuiſſe tot, & tantos, vt Syracuſis etiam maior baſilica corrueret cōpreſſis omnibus præter duos Eccleſiaſticos viros. Ita vt elementa iuſſu Dei, & agitatione Sathanæ coniurata viderentur contra *In vitā Victoris III.*

H ex-

excommunicatos, qui Eccleſiæ,& Clero aduerſabantur. Tandem Henricus à filio ipſo ſuo apud Leodium ſuperatus, infeliciter moritur. Quis ergo vicit, Gregorius, an Henricus? Deus, an homo? Arma ſpiritualia, an temporalia? Siccinè vſurpatur poteſtas Eccleſiaſtica? Si hoc eſt vincere (vt phraſes tuas extollam) quid erit perdere? Cincius ſceleroſus, pro Henrico contra Gregorium agens, à Populo Romano armis expetitur: profugus, in Germaniam vix ſe recipit; eius turris à fundamentis euertitur: eius familia, mutilatis naribus, ab Vrbe pellitur: isque demum ſubitâ febri, vt ictus fulmine excommunicationis, exterris moritur. Qui Epiſcopatus, & beneficia adepti erant, cum aliis Clericis, Henricum ſectantibus, anathematizati, dignitatibus, & beneficiis priuantur. Quis vicit, Marſili? Hoc eſt vincere? Forſan honoris quippiam nactus eſt Henricus? Certè multum. Dictus eſt non ſemel, in bono leuis, in malo pertinax; Simoniacus, ſchiſmaticus, temerarius; violator, hoſtis Eccleſiæ; perfidus; improbus; pernicioſus, impius; tyrannus, quis numeret? De Gregorio hæc nō ſcribit Platina: ſed dicit cùm primùm creatus eſt Pontifex, his nominibus eum fuiſſe ab Electoribus declaratum: multæ doctrinę,

ma-

magnæ pietatis, prudentiæ, iuſtitiæ, conſtantiæ, religionis, aliiſq; bono Epiſcopo dignis. Quos titulos nō ſolùm ſeruauit in Pontificatu, ſed & mirum in modum cumulauit: dictuſq; eſt vſque ad mortem, & poſt, charus Deo, prudens, iuſtus, clemēs, pauperū, pupillorum, viduarū patronus; fortiſſimus, & acerrimus Defenſor Eccleſiæ. Vis plures? vis maiores? Nō inferiori zelo, cōſtantiâ, & gloriâ Alexāder III. quatuor ſchiſmaticos Pontifices è medio ſuſtulit, & Friderici Imperatoris tyrānidi reſtitit. Dices etiā eius tēporis calamitates ab excōmunicatione partas? At quid vnquā mali Friderico fecerat Hadrianus IV. Prædeceſſor Alexandri? Fridericus vix factus Imperator Romam hoſtiliter mouet. Imò quid nō boni is à Romanâ Sede receperat? Ab ipſo Hadriano, vi armorū repugnāte populo, diademate inſignitur. Vbi verò Alexander III. creatur, obediētiā detrectat, ad Octauianū ſchiſmaticū declinat; huncque Antipapam Alexandro inſolētiſſimè obiicit. Hinc, hinc ortæ excōmunicationes ab Alexandro iuſtiſſimè latæ. Quis pacem Italiæ ademit? Schiſmata pceſſerūt, excommunicationes ſecutæ ſunt. Nonnè iiſdem temporibus Emanuel Imperator Conſtātinopolitanus Legatos ad Alexādrū miſit, pollicens magnas

copias in Fridericum, & vnicam mentem omnium Græcorũ, dummodo pateretur Orientale Occidentali Imperio reuniri? Nonnè repetitis legatis, adauctis pollicitationibus perſeuerauit? Si Alexander fuiſſet bellorum amator: ſi Italiæ pacẽ voluiſſet adimere; ſi Fridericum hoſtili animo propulſare, effundere, omninò delere, dixiſſet, *Ita*. At conſtantiſſimus, paciſque ſtudioſiſſimus Pontifex, negauit. Quinimò ademptam à Friderico pacem Italiæ Alexander reſtituit. Nam (vt tuum Platinam ſequar) Fridericus longitudine laborum, acri pugnâ Mediolanenſium, pertęſus, Papiam venit, vbi de pace Italiæ agi cœptum eſt, & implorata Pontificis autoritas: quam pacẽ Veneti libenter amplexi ſunt, ob violatum à Græcis ius gentium: & Venetiis cum Friderico inierũt fœdus, Alexandri Pontificis interpoſitâ autoritate; quo tempore & res Pontificiæ compoſitæ. *Nihil eſt*, ais, *tunc Alexandro de Eccleſiaſtica libertate reſtitutum: pedum oſcula, quæ Fridericus ei ante diſſidia non negauerat, tantum extorſit.* Quomodo nihil? Non diſpliceat Platinæ, iterum reuocari. *Conuenerat iam Venetias Alexander*, ait, *componendæ pacis Italiæ causâ, eò & Fridericus accedens in veſtibulo S. Marci, Pontificis pedes exoſculatur: ſimul deinde ad altare*

maius profecti, accepta, dataq́ʒ ſalute, de fœderibus pacis, inter ſe multum diuq́ʒ collocuti ſunt, quæ poſtea ſequenti die ex ſententiâ confecta eſt. Audiſtin, pacem ab Alexãdro compoſitam? pœnitentiam publicam Friderici? eiuſdem ſatisfactionẽ erga Eccleſiam? Tu verò Platiniſsãs ad libitũ, neſcio quos alios pacificatores ſomnias; & non vereris viſibili manu lapides iacere retgradarios. Nõ negauerat Alexandro pedũ oſcula Fridericus ante diſſidia, ſi ei, vt Põtifici canonicè electò, obedientiã exhibere noluit? Extorſit oſcula Alexander, ſi eò exoratus acceſſit? Si eò vſq; & Imperator ſe liberè contulit? Neq; oſcula fuerũt, ſed exoſculationes: non domi, non infra Eccleſiã, ſed in ipſo veſtibulo: nõ cuiuslibet Eccleſiæ, ſed Sancti Marci: in tantã Vrbe, corã tot ſenatoribus, ſpectante deſiſſimo populo. Publicâ receptus eſt pœnitentiâ, qui publicanus fuerat in ſchiſmate, publicanus in cõtumaciâ. Palàm ſe humiliauit, culpam ſuam accuſauit, veniã petiit; & reiteratis oſculis, cũ affectu petiit. Hoc ſignificat: *In veſtibulo Eccleſiæ S. Marci, Pontificis pedes exoſculatur.* Si in illis tantùm oſculis pax conſedit, cur tum de pace diù collocuti ſunt? cur ad ſequentem diem procraſtinata eſt pax? Si hæc ex ſententiâ ſequuta eſt; nonnè quicquid

iuſti cupiuit, Alexander conſecutus eſt? Quidnàm Henricus, quòd Alexandro non obedierit? Cùm primùm Romam inuaderet contra Alexandrum, Diuino iudicio factum eſt, vt, peſte ſubortâ, cogeretur fugâ ſalutem querere. Iterum Italiam magnis copiis infeſtans, adeò fuerunt eius phalanges attritæ à Mediolanenſibus, vt paululum abfuerit, quin ipſe ſuffoſſo equo interficeretur. *Tum verò*, ait Platina, *Friderici proceres, arbitrati ideò accidiſſe, quòd Eccleſiam Dei perſequeretur, palàm minari, ſe in patriam redituros, omiſſâ tam iniquâ militiâ, ni properè cum Pontifice in gratiam rediret.* Vltio ergo Diuina, Friderici proceres Fridericum ad pacem adegerunt. Tandem vt periit? Amnem inexploratò traiiciens ſummerſus, vt Pharao, aquis dedit pœnas, qui multò antè ignem excommunicationis irriſerat. Si nil, aut parum illis excommunicatio profuit, *Quid attinet*, inquis, *tanta ſpargere ſemina perturbationum, tanta incendia præparare?* Excommunicatio non ſpargit huiuſcemodi ſemina, ſed ſupſeminat inimicus homo. Tunc ſilex excommunicationis emittit incendia, cùm duro obſtinationis chalybe violenter excutitur. Si non prodeſt vni excommunicatio, prodeſt alteri. *Nabuchodonoſor pœnitentiam meruit*

fru-

fructuoſam, narrat Auguſtinus; *nonnè poſt innumeras impietatis flagellatus, pœnituit, & regnum, quod perdiderat, rurſus accepit? Pharao autem ipſis eſt flagellis durior effectus, & periit. Hic mihi rationem reddat, qui Diuinum conſilium nimium altè, ſapiētiáq; corde diiudicat, cur medicamentum, vnius medici manu confectū, alii ad interitū, alii valuerit ad ſalutē: niſi, quia Chriſti bonus odor alii eſt odor vitæ in vitam, alii eſt odor mortis in mortem. Quantū ad naturā, ambo homines erāt: quā ū ad dignitatē, ambo Reges: quantū ad causā, ambo captiuū populum Dei poſſidebant: quātum ad pœnam, ambo flagellis admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diuerſos? niſi, quòd vnus manū Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra miſericordiſſimam veritatem pugnauit arbitrio.* 23. q. 4. *Nabuchodonoſor.*

CAPVT XXI.

De Voto Marſilii contra Votum Card. Baronii.

HÆc pauca ex multis, ad Dei gloriā, Eccleſiæ decus, & puſillorū inſtructionē, dicta ſint pro Voto Reuerēdiſſ. Car. Baronii. Scrutari iā licet breuiter Votum tuū: forſā tu ſolus inter Cardinales deeras. Quàm fuerit illud, conſultū, æquū, neceſſariū, ſufficienter audîſti: ſi tuum erit tale, à Doctoris titulo nō longè aberis. *Hoc eſt*

Votum meum (ais) *vt ab ipſo Cardinale admoneatur, vt illorum Pontificum exemplis, ab incepto ſe remoneat; & quod ipſius hortatu nimiâ feſtinatione commiſit, quàm citiſſimè deteſtetur, corrigat, & emendet.* Hoc eſt Votum verè tuum, & totum tuũ. Si eorũ Pontificum exẽplis ſtandũ, ii nũquã ab incepto ſe remouerũt, ergo (ſi tibi placet) cõtrarium cõcluditur cõſilio tuo. Illud, *Quã citiſſimè*, eſt cõtra doctrinã moroſã tuã: fortaſsè iterũ nimię feſtinationis Pontificẽ obiurgares. Concilium Tridentinum 18. annis (vt tuis illationibus vtar) durauit, ac de excommunicatione egit; & tu quàm citiſſimè vis excommunicationé reuocari? Sciſnè, quæ debeat Summus Pontifex deteſtari, corrigere, emendare? Attende. Baſilius Vicarius Regis Odoacris quædam ſtatuerat cum præiudicio Eccleſiæ: coëgit Synodũ Simmacus Papa ferensq; Votum ſuum Laurentius Archiepiſcopus Mediolanenſis, dixit: *Non licuit laicis ſtatuendi in Eccleſia præter Romanum Papam habere aliquam poteſtatem quos obſequendi manet neceſſitas, non autoritas imperandi.* Cuius Voti fuerunt & cæteri Patres. & addiderũt, quòd licet huiuſmodi decreta, eſſent inualida; tamen eneruãda quoq; erant per ſentẽtiã Pontificiam. *Ne in exemplũ remaneret præſumẽdi*

Diſt. 96. Benè.

qui-

quibuslibet laicis, quamuis religioſis, vel potentibus in quacunque ciuitate quolibet modo aliquid decernere de Eccleſiaſticis facultatibus, quarũ ſolis Sacerdotib. indiſcuſſè à Deo cura commiſſa docetur. Et S. Ambroſius, *Allegatur*, ait, *Imperatori licere omnia, ipſi⁹ eſſe vniuerſa: reſpondeo: Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ Diuina ſunt, Imperiale aliquod ius habere; noli te extollere: ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubiectus.* 23.q.8. Conuenior.
O Votũ cœlicâ voce prolatũ: nõ ambroſiâ ſparſum, ſed Ambroſio plenum. Audi Marſili Votũ Ambroſii, & deteſtare, corrige, emenda tuum. *Deinde*, ſubdit, *conſulere mihi, & Imperatoris ſaluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat vocẽ liberi Sacerdotis, ſi vult ſibi eſſe cõſultum, recedat à Christi iniuriâ. Hac plena humilitatis ſunt, &, vt arbitror, plena affectus eius, quem Imperatori debet Sacerdos.* Et S. Auguſtinus intelligens in Sara Eccleſiã, *Reprehendis*, inquit, *Eccleſiã, quòd ſuperbiat, & vis, vt humilietur? Sara erit ancilla, & Agar ſecundùm te erit Domina.* Conuenit hoc Marſili? *Ais Saram perſequi Agar: at maiores patitur perſecutiones Sara ab Agar.* Et infrà: *Mirantur autem, quia cõmouentur poteſtates Chriſtianæ contra diſſipatores deteſtandos Eccleſiæ: ſed ſi non commouerentur, quomodo redderent rationẽ de imperio* Ibid.q.4. Quando vult.

perio ſuo Deo? Mallē, vt finibus quiſq; ſuis contineretur: mallē te experiri Theologū: tuaq; Vota aut rationib. conſtare, aut inſufflari ſpiritu Dei. Talibus egebit auxiliis sereniſſima æquè ac ampliſſima Venetorū Reſpub. nunquā ſatis prudentiæ, & ſapiētię laudata? Hocce tuo dormitabit conſilio? Adde adminiculū, admoue fulcrum: Votum erit Votū, ſed Votū tuum: & ſignum, ꝙ appendis, erit ſignum tuum. S. Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani, excommunicatione Pontificiâ notati, niſi Diecœſin Bulgariæ Sedi Apoſtolicæ deſineret, teſtaris hiſtoriā: qui & à Gręcis, & à Latinis annuâ feſti ſolennitate recolitur. Sed (vt ſoles) effuſo peculio, crumenā ſeruas: & quaſi doctrina Baronii eſſet inuiſibilis, teſtaris, ꝙ tantùm placet. Tria in Cardinale obſerua: primum: Sanctiſſimum illum Archipræſulē ſemper reuerentiâ admirandâ proſecutū eſſe Romanā Sedē: ſemper eam coluiſſe, nunquā contempſiſſe. Quare Legatis ſanctæ Romanę Eccleſiæ reſpondit: *Abſit à me, vt ego his præſumptionibus contra decorē Sedis Apoſtolicæ implicer: qui nec iuueniliter ago, vt mihi ſubripi valeat: nec ita ſeniliter deliro, vt quod in aliis reprehēdere debeo, ipſe committam.* Alterū, fuiſſe illū Petri Cathedræ ſemper vnitū, nunquā reiectū. *Quamuis autem*

Annal. Tom. X. Anno Chriſti 869.

autem iſta minimè impleta inueniantur (ait Cardinalis) *cõſtat autẽ eundem ſemper vſq; ad obitum in Catholica Romana Eccleſia & communione fuiſſe retentũ, quod eiuſdẽ Ioannis Epiſtola ad diuerſos lata poſt Ignatii obitum docent: vt iam de his nulla penitus dubitatio oriri poſſit.* Poterat adiungi: Excepto vno ſpeculatiuo Marſilio, qui omniũ veritatũ eſt Dubitantius. Tertiũ, fuiſſe Ignatium hominẽ; potuiſſe peccare; peccaſſe; pœnitentiã egiſſe; gratiã impetraſſe; inter beatos tandẽ relatũ eſſe. *At verò* (notat Cardinalis) *nullũ penitùs contraxiſſe vnquam vel leuem puluerẽ ipſum S. Ignatium ex hac vel aliâ causâ, dici non patitur humana cõditio quo Sanctorũ neminẽ caruiſſe, Dei Genitrice exceptâ, aequè fatentur omnes.* Quid ergo n teris Sanctũ exturbare Ignatium, cum ſupernis ſpiritib. triumphantẽ? Non eſt tibi ſatis ſuperq; militantem exercere Eccleſiã? Piuſnè adeò es, vt & Sanctos ad arenã prouoces, vt tecũ de excõmunicatione decertẽt? Dic: Petrus negauit Chriſtũ? celebratur in totâ Eccleſiâ Sanctus? ergo vel negare Chriſtũ licebit, ſecundũ te; vel Petrus non eſt Sanctus. Tale eſt ſignum tuum: Non inuenitur, Ignatium ſatisfeciſſe excomunicationi, & is poſt obitum celebratur Sanctus: ergo vel excõmunicationi nõ eſt obediendũ, vel Ignati⁹ non

Ibid. Anno Chriſti 878.

non eſt ſanctus. Hoc planè modo argumentari poteris de omnib⁹ Sanctis, ac dicere: vel licere peccata patrare, vel Sanctos non eſſe Sanctos, qui aliquãdo fuêre
Pſal. 85. & peccatores. Ceciniſti parabaſim. Fac mecũ ſignũ in bonũ, Marſili, ſignũ in bo-
Matt. 12. nũ, & nõ in malũ. Phariſæorũ eſt, infideliter ſigna petere. Idiotarũ ſignũ eſt rude loco ſcripturæ; qui depoſitionẽ factã, ſuis characteribus cõfirmare ignorantes, ſtrepenti calamo ſignũ obtortum craſſumq; ineptiſſimè ſubducunt; cui Notarius in fidẽ ſubſcribit, *Signũ ſcribere neſciẽtis*. Va-
1. Cor. 1. leant hæc ſigna tua. *Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum.* Tempus eſt, vt ducto vultu ſileſcas.

CAPVT XXII.

De Clypeo Marſilii contra Paræneſim Baronii.

VErùm enimuerò in exitu vis etiam valedicere. At loco valedictionis, effundis maledictiones: & Martialiter furens, ampulloſiſſimas ſcreas minas. *Non diſſimilis eſt*, ais, *nunc primùm typis mandata Paræneſis ad Remp. Venetã: quæ quoniam nihilominus eſt aculeata atq; adeò acriorib. ſtimulis obarmata, mihi quoq; Deo benè iuuante, Clypeus fabricandus erit: quo illa non ſolùm recidant, ac retundantur, ſed quoad eius*

tius fieri poterit, in ſuum reuertãtur autorẽ. Iocundũ exodiũ. Quid ſi teſtudine, bombardis, phalaricâ arietaſſet, tonaſſet, fulminaſſet? Maioris eſt vtiq; potentiæ verbũ Dei, quo Paręneſis euecta inuehit. Sed quàm ſuperſtitioſum eſt illud, vt contra Scripturã ſcripturus, Scripturarũ autorẽ tibi propitium ſperes? Illudq; *Benè*, quàm Theologicè, quàm eleganter eſt poſitũ? Probaſtin Deũ interdũ malè iuuantẽ? nõ ſuffeciſſet dicere, *iuuante?* ſic tu ſoles eruditè, lepideq; Theologari. At quomodo tibi potiùs hoc faciendũ ſit, & non alteri; mandatum non legi: neq; hoc de te cõiectare poſſum, ꝙ ſis Clypeorũ fabricator eximius; cùm longè aliud ſit Theologi officiũ in patriâ meâ. Sed quorſum Clype⁹? vt recidãt Parenetica, & retundantur. At ea eſt Parçneſis natura, vt contradictionẽ non patiatur, cùm de eo agat, quod nõ cadit in controuerſiã; & apud omnes in cõfeſſo eſt. Quid recidere? quid retundere? Verbũ Domini permanet in æternũ. Sit marmoreus, ſit ferreus, ſit adamantinus Clypeus, verbũ Domini cõminuet illũ, & deſtruet. Sum⁹ & nos clypeati, ſed à Deo: cõtra Clypeũ hominis proferemus Clypeũ Dei. Experieris, vter ꝑualeat. *Omnis ſermo Dei ignitus, Clypeus eſt ſperantibus in ſe.* Dices & Clypeũ tuũ fabricari ſermo-

Pſal. 118.

Prou. 30.

ne

ne Dei. Ignis probabit. *Nõ addas quicquã verbis illius*, ſubdit Salomon, *& arguaris, inueniariſq; mendax.* Noſti Antiprophetas deſcriptos in Hieremia? *Audiui, quæ dixerunt Prophetæ*, ait Dominus, *prophetãtes in nomine meo mendacium, atq; dicentes, Somniaui, ſomniaui. Vſquequo iſtud eſt in corde Prophetarũ vaticinantiũ mendaciũ, & prophetantiũ ſeductiones cordis ſui? Qui volunt facere, vt obliniſcatur populus meus nominis mei propter ſomnia eorũ, quæ narrant vnuſquiſq; ad proximũ ſuũ.* Propterea Diuino edicto mandat: *Propheta, q habet ſomniũ, narret ſomniũ; & qui habet ſermonẽ meũ, loquatur ſermonẽ meũ verè.* Rumina hæc verba Marſili; vel recordare illius vltimi, *Verè.* Verba Dei ſunt: *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus?* Vis tuas nugarũ ariſtas cõparare cum tritico Scripturarũ purgatiſſimo? Profer fabuloſum Clypeum tuũ: erit ſtramineus: vnâ ſolâ ſcintillâ cõflagrabit in pauciſſimos, ac tenuiſſimos cineres. *Nunquid nõ verba mea ſunt, quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petras?* Cõtra eiuſmodi prophetas bellos, qui furantur vnuſquiſq; verba à proximo ſuo, qui aſſumũt linguas ſuas, q ſomniant mendacia, iiſq; ſeducunt populũ, nec non contra ipſos ſectatores terribilia, nedũ metuenda cõminatur Dominus.

Hierem. 23.

minus. Quid putas fieret tunc, de ficulnis armis tuis? qd de fictili Clypeo tuo? Clypeus Saul abiectus eſt, qui erat Clypeus fortiũ; & Saul occiſus. Clypeus æreus tegebat gigantis humeros; q iactu lapidis, velut caniculus, conſternatus corruit. *Tu venis ad me cum gladio, & haſtâ, & clypeo; ego autẽ venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminũ Iſrael, quib. exprobraſti hodiè*, dixit Dauid: *& nouerit vniuerſa Eccleſia hac, quia non in gladio, nec in haſtâ ſaluat Dominus.* Non paucis victoriis, nec exiguis potitus eſt Iudas Maccabæus: at alloquebatur ſuos de Lege, & Prophetis, armans ſingulos illorũ nõ Clypei & haſtę munitione, ſed ſermonib. optimis, & exhortationib⁹. Hi ſunt veri Clypei, quibus munitiſſima eſt Catholica Eccleſia; *Sicut turris Dauid, q̃ ædificata eſt cũ ꝓpugnaculis: mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortiũ.* Sed parco, Mars es, neſcis niſi arma ciere. Et, quaſi ſcutatus Ægide Palladis, ſerpẽtinis Gorgonis crinibus adeò intuẽtes territas, vt mox lapideſcant. Eiuſmodi ſunt furiales illæ tuæ poſtremæ minitationes; cùm vis ſolo obiectu præſtigioſi Clypei tui arma omnia Parænetica in ſuum repulſare autorem. Sed ea verba in autorem reuertuntur ſuum, quæ ſunt à veritate aliena: vt ſenioribus contra Suſan-

2. Reg. 1. *1. Reg. 17.* *2. Macc. 15.* *Cant 4.*

Dan. 18. Suſannam coniuratis, meritò accidit, qui in caput ſuum mentiti erant. Tu autē, ſi presbyter ſeniorem ſignificat, & aduersùs Eccleſiā immaculatā fers teſtimoniū; tibi vide. Si verò ſacras literas, quas Cardinalis miſit ad eundē remittes, theſaurū recipiet deſiderabilē ſuper aurum, & lapidem

Pſal. 18. Iſa. 55. pretioſum multū. *Sed quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur; ſed inebriat terrā, & germinare eā facit: & dat ſemen ſerenti, & panē comedenti: ſic erit verbū meū, quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuū; ſed faciet quacunque volui; & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud, dicit Dominus.* Fiet n. fiet, (ita omninò ſpero) vt prudentiſſ. ac religioſiſſimus Venetorū Senatus, zelo Summi Pōtificis, & æquitate Sanctiſſimi Iudicis terſo lumine agnitis, verbis exprimat & operibus reuerentiā, obedientiā, dilectionē illam, quibus ſemper emicuit. Simulq; Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Cardinalis Baronii charitatē, doctrinā, auctoritatem, excitatis ad mutuū amorem præcordiis; non laudet modò, ſed etiam, quantū fas eſt, veneretur. Te verò emendatum, (quod cupio) ſanæ voluntati reſtituat.

FINIS.

VITTORIO EMANVELE

Digitized by Google

Digitized by Google